6
15-D
49 11

6
17 K
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

23. c

6-15-D-49

~~10-B-21~~

10.6.23

BIBL. ... AZ. ... VITTORIO EMANUELE

Deſcriptio
TERRÆ SANCTAE, ET REGIONVM FINITIMARVM, AVCTORE

BORCHARDO, MONACHO GERmano, familiæ Dominicanæ, quem vixiſſe accepimus circa annum Ieſu Chriſti M. CC. XXC III.

Item

ITINERARIVM HIEROSOLYMITANVM BARTHOLOMÆI DE SALIGNIACO,

EQVITIS ET IC. GALLI, IDEM ARgumentum pertractans.

Qui ambo commentarij ſecundum literas ſacras cum recentem Hieroſolymitanam, tum reliquam Orientalem hiſtoriam mire illuſtrantes in Germania partim nunc primum: partim emendatius & locupletius eduntur.

E Bibliotheca Aluenslebiana.

MAGDEBVRGI
Excudebat Paulus Donatus, Impenſis
Ambroſij Kirchneri.
Anno M. D. XXCVII.

BIBL. SEC. COLL. ROM.

REVERENDI ET DEVOTISSIMI PATRIS, IN SACRO CANONE ERVDITISSIMI, FRATRIS BORCHARDI, ALEMANI, ORdinis prædicatorij, liber, qui inſcribitur Deſcriptio Terræ ſanctæ, eidemque adiacentium regionum.

PROLOGVS.

OLIM LEGIMVS IN VETERIbus hiſtorijs (vt Diuus ſcribit Hieronymus ad Paulinum) quoſdam luſtraſſe prouincias, maria transfretaſſe, vt quæ ex libris nouerant, coràm poſita viderent. Hac de cauſa Plato AEgyptum, Pythagoras Memphiticos vates adijt, & Apollonius Perſas intrauit, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas & extremā penetrauit Indiā, vt Hiarcham, in throno Aureo ſedentem, videret audiretq; docentē. Et demum Aegyptū acceſsit, vt famoſiſsimam Solis menſam videret in ſabulo. Quid ergò mirandum, ſi Chriſti nominis veriſsimi cultores terram illam, nomine ac re ſanctam, quam Catholicæ Eccleſiæ dic noctuq; Pſalmis alijsq; diuinis laudibus reſonant, & decantant, videre, ac totis animis luſtrare affectant? Venerabantur Iſraelitici patres ſanctorum ſancta, eò quòd illic teſtimonij arca, Cherubim cum propiciatorio, manna & Aaronis virga, quæ floruerat, diuino inſtituto recōdita ſeruabantur, vt in ſacro legimus Exodi libro: quæ

Apollonij Tyan. peregrinationes.

¶ Vide Philoſtratum de uita eius Suida in uoce Ἀπολλώνιος.

nempe omnia, Diuo Paulo atteſtante, nil aliud quàm vmbra exiſtebant futuri. At apud pias fideleſq; mentes longè amplius venerandum & colendum eſt CHRISTI IESV ſepulchrum, cuius glorioſa morte, de morte triumphamus: illius eſt ſiquidem virtutis deuotiſsimum hoc ſepulchrum, vt quotiens quis mundo corde ingreditur, totiens ſindone circumvolutum interno intuitu videat humani generis Saluatorem: paululùmque progrediens, pergrande illud Saxum reuolutum aſpicit, & Angelum niueo candore decorum, blanda luce fulgentem, pijſſimas mulieres alloquentem, eiſdemq; ſudarium & linteamen oſtendentem. Quis his viſis adeò vecors & ferreus, qui non anhelet glorioſam & omni ſeculo benedictam viſere Bethleem, diuino ac virgineo partu celebrem? contemplaturus humanatum Deum, puerum tenellum in præſepio, deſpicabili loco, & duro, pro nobis vagientem: puriſsimam Mariam virginem in diuerſorio parientem ſub rupe concaua, quæ vſq; hodie dum cernitur, lachrymæ & ex alto corde ſuſpiria erumpunt. Quid ſuauius, quidue iucundius animæ fideli, cui non niſi cœleſtia ſapiunt, quàm animo reuoluere, Angelicas illas & beatas mentes, paſtoribus euangelizare gaudiũ magnum, quomodo natus eſt perditi hominis Saluator ac decantare gloriam in altiſsimis DEO & pacẽ pacificæ voluntati: intueri tres Magos maieſtate præclaros, & Chaldæorum ſapientia refertiſsimos, ab oriente, Bethlehem ſtella duce aduentantes, qua religione & latria proni ruant ante præſepe, non habens tectum deſuper, ſed ipſam tantùm rupem prominentem? Reuertatur deinde fidelis quiſq; in ſublimen Ieruſalem, vbi Dei maximi filium Ieſum, in templo, diſſerentem, decla-

Σκυρορ. (margin)

Magi. (margin)

declarantem, ſæpeq́; inuidos & hypocritas arguentem, videat audiatq́;: In Oliuarum monte charos & ſimplices diſcipulos erudientem, in monte Sion antiquo more paſcha celebrantem, Diuinum prorſus Euchariſtiæ miniſterium inſtituentem, manſuetudinis amatorem & pedes delicatiſsimis manibus lauantem: In Gethſemani iam fatigatum Iesvm, patrem ſuum obnixius orantem, ſanguineo ſudore conſperſum, nefarium Iudam diuinis labijs oſcula imprimentem, mitiſsimum veluti innocentem agnum, captum loris duriſsimis vinciri, vinctum impetu trahi, deſpectiſsimè illudi, irrideri, flagellis cædi, coſpui, acerrimis ſpinarum ſertis coronari: Immeritiſsimè iudicatum, cruci addictum, grauem nimis & trucem humeris illis, quibus vtriuſq; hemiſphærij molem ſeruat & ſuſtinet, crucem deferentem: ſub crucis inſupportabili pondere, in ipſo ciuitatis exitu, pro nobis certè ingratis deficientem: Cyrenæum Simonem ſuccedentem, & in Caluariæ loco totius humani generis redemptionem piiſſimæ paſsionis ſuæ myſterio celebrantem. Omnium horum ita euidens ac plena adhuc extat memoria, veluti ſi hac die contigiſſent. Nempe in ipſa Ieruſalem tot ſunt Dominicæ paſsionis actis geſtisq; loca inſignia, vt nulla etſi longiſsima dies ſufficiat ſingulis perluſtrandis. Sunt præterea quàm plura in regionibus illis, quæ bonis ac optimè diſpoſitis animis ampliorem generant deuotionis affectum. Quis enim etiam facundiſsimus enarrare valeat? quot Anachoretæ, quot Monachi, & caſtiſsimæ virgines, de Georgia, Armenia vtraq;, Chaldæa, Syria, Media, Perſia, India, AEthiopia, Nubia, Nabenia, Græcia, aliarumq; nationum, cateruatim centeni, ducenteni, plus

 minuſue

minuſue procedentes in ſpiritu vehementi genua fle-
ctunt,connexas manus eleuant,oculos ad cœlum ten-
dunt,terram ſanctam proni oſculantur, ſeu verius præ
dulcedine cordis lambunt, venerantur, adorant
quemcunq; locum,in quo dulciſsimum Ieſum ſtetiſſe,
ſediſſe vel quippiam operis egiſſe percipiunt. Nunc
palmis pectora tundunt, nunc profundos gemitus
emittunt, nunc in profuſos fletus ſe ſoluẽt, adeò quod
geſtu corporis, & longanimitate,deuotionem intus ſe
habere comprobantur, quam foris præ ſe ferunt, ita
vt in lachrymas plerunq; deducant etiam infideles
Sarracenos,qui deteſtandum Mahometh adorant, &
prædicant. Heu fortiſsime Deus, intueor iuxta ſacram
hiſtoriam patrem Abraham,patriam ſuam,patris do-
mum & cognationem, tuo mandato deſerere, ad ter-
ram hanc ſanctam,quam ſibi oſtendiſti, feſtinare. In
Bethel & Hai tabernacula fixit, in Geræris, Berſabee
& Hebron commoratus eſt. Video, æterne Pater,
Ezechielem in Babylone captiuum, ſuper Babylonis
flumina aſcendere, & vt repetat dilectam Ieruſalem,
lachrymabili voce implorare. Video vnigeniti tui
puriſſimam matrem non contentari latis ſpecioſisq;
Galilææ campis,ſed licet ex Angelica ſalutatione ſci-
ret,ex virtute ex alto ſe concepiſſe, ſtatim cum feſti-
natione Iudeæ montana conſcendit, affectans ſupe-
rioribus propinquare. Video patrem Iacob, eiuſq;
filium dilectiſsimum Ioſeph, cuius gratia in AEgyptũ
peregrinaturus deſcenderat,qui præuidentes ſe in hu-
manis agentes non repetituros,hanc ſacram patriam,
ſaltem vita functi illic ſepeliri elegerunt, ſicq; poſteris
ſuis demandârunt. Verùm hac noſtra tempeſtate,
quam penitus miſeram & inſipientem cenſeo,ingemi-
ſcen-

Orientalium Christianorum religioſi geſtus.

Auctoris exclamatio.

ſcendum mihi eſt, deplorandaq; eſt viliſsima Chriſtianæ Reipub. tarditas, quæ etſi ei, tot & tanta præſentent ſanctorũ patrum exempla dietim, tamen pigritat & negligit de manu & tyrannide Prophanorũ eruere terram illam, quam Ieſus, mundi Saluator, innocenti ſanguine fuſo conſecrauit, quam Orthodoxa fides indefeſſe & prædicat & extollit. Quæ enim diei aut noctis hora per totum anni circuitum, in quam non memorentur cantando, legendo, pſallendo, concionando & meditando acta, vel literis ſacris demandata, huius ſanctiſsimæ plagæ, quam diuina eloquia promiſſionis terram egregiam meritiſsimè nuncupant? Verùm animaduertens quàm plures Chriſti fideles ſummopere affectantes, vt terram hanc ſanctam, quam per decennium pedibus his calcaui, pertranſiui, diligentiſsimè notaui, deſcriberem more Geographi, mecum reputans, id perutile fore, non modò ad excitandum deuota in Saluatorem corda, ſed vt de locis, vrbibus, montibus, fluuijs, oppidis, alijſq; multis, in veteri nouoq; Teſtamento ſæpè ſæpiuſq; repetitis, ſufficiens habeatur noticia, quantũ meæ ſuppetunt vires deſcriptionem ipſam conficere propoſui. In hac verò deſcriptione te inprimis certum reddo, optime Lector, quòd nihil continetur, niſi quæ oculis contemplatus ſum, aut ſi quæ fuerunt à me ipſo inacceſsibilia, tum feris, tum mari mortuo, tum aſperrimis montibus, in his ab incolis, & illius regionis veteranis habitatoribus, quantum potui, eruditus ſum. Et quoniam omnis ordinata deſcriptio ab aliquo principio, quod pro centro ſit, exordiri neceſſe eſt, aliter imaginatione concludi minimè poſſet: ideò * Achonenſem vrbem, antiquitus Ptolomaidam dictam, pro centro mihi ſtatui, etſi non in medio terræ ſanctæ, ſed in occidentali eius termino ſupra mare ſitam.

Inſectatio ſui ſeculi.

Decennalis peregrinatio.

βεβαίωσις.

* *Plinius lib. 5. cap. 19. quondam Acen, post Ptolemaidem dictam, ſcribit. Addantur quam Suidas tradidit in uoce Ace.*

Protraxi

Protraxi igitur ab Achon lineas rectas quatuor, ipſius orbis quatuor punctis, orienti, occidenti, ſeptentrioni & meridiei correſpondentes, quibus totus terræ orbis in quatuor ſectiones partitur, quarum quamlibet in tres iterum partitus ſum, vt iuxta duodecim ventos diſponantur. In vnaquaque autem partitionum, loca ſua & oppida & vrbes, in ſcripturis ſacris tum antiquis tum nouis famoſiores, deſcripſi, vt cuiuſlibet ſitus & diſpoſitio, quem ordine retineant, in vniuerſo de facili comprehendatur.

Intentio.

Quantum verò conferat hic labor meus ad diuinorum canonum interpretationem & doctrinam capeſcendam, tibi periculum facies, chare Lector, ſi huiuſmodi ſtudium te oblectauerit.

Explicit Prologus.

PARTI-

MELOS AD IOACHIMVM AB ALVENSLEBEN, VIRVM GENERE ET ERVDITIONE nobiliſsimum.

QVales ſuſurros diues inaudijt
Hoſpes Canopi: cùm Mareotidis
Lagæus Heros ad fluentum
Mille libros, monumenta mille.
Sumptu profundo congereret, ſeni
Morem benignè Philoſopho gerens.
Theatra quantos ſuſtulerunt
Attica, Cecropijq́ plauſus:
Cùm Pergameni niſibus æmulis
Arſere reges, lectaq́ pluribus
Latum per orbem Gaza regnis
Teuthraniam ſubijt vetuſtam.
Vates ſonoris carmina tibijs
Finxere læti: perſonuit modis
Obſcura plebes, & canores
Edidicere Agiles Napææ.
Iam poſt tot annos viuit, & vndiq́
Rumore grato fama perambulat:
Nec conſeneſcet, donec orbis
Impauidam feriant ruinæ.

Haud te minori Iulia barbito
Dicet juuentus, & citharæ ſciens
ELMANA virgo prædicabit
Facta tuæ, IOACHIME, gentis
ALVONIS hæres Saxonici potens.
Nec fama ſeris poſtgenitis minor
Noteſcet euge ſic equeſtri
Progenie decuit creatum:
Inæſtimandis vndiq; ſumptibus
Libros coëmptos Pieridum choro
Donare, theſauroq; ciues
Egregio memores beare.
Qui rore puro Caſtaliæ lauit
Crineis ſolutos, pollice Lesbium
Poëma fingat delicato
Delius, & Patareus Apollo.
Me, ſi qua noſtris gratia tibijs,
Iuuabit inter indigenas cycnos.
Sancire carmen tam benigno
Agminis Aonij patrono.

M. Henricus Meibomius Acad.
Iuliæ Profeſſor publicus.

PARTITIO REGIONVM, TERRAE SANCTÆ ADIACENTIUM.

CAPVT PRIMVM.

PRincipio ſciendum, terram, quàm dicimus ſanctam, eam eſſe, quæ duodecim tribubus partita eſt ab inuictiſsimo duce Ioſua, teſte libro Ioſuæ à cap. 15. vſq; ad 20. Huius terræ pars vna, regnum Iuda nuncupabatur, continens ſortem duarum tribuum, Iudæ & Beniamin. Pars altera Samarię regnum, quæ decem tribuum caput, & regni ſedes exiſtebat, nunc dicta Sebaſtæ, regnumq; Samariæ in ſcripturis regnum Iſrael nominatur. Inde reges Iuda, regesq; Iſrael proceſſere, poſt ſapientiſſimi Salomonis moderamina, teſte lib. 3. Regum cap. 12. Vtrunq; autem regnũ illud cum Philiſtæorum toto dominio eſt ea quam & ſacræ ſcripturæ, & mundi Coſmographi Palæſtinam vocant, quæ extat pars magnæ Syriæ, ſicut Lombardia & Tuſcia ipſius Italiæ. Quod vt euidentius pateat, ſcito pluris reperiri Syrias variè quidem nominatas. Tota ſiquidem plaga à Tigri flumine vſque ad Ægyptum, cōmmuni nomine Syria nuncupatur. Portio eius prima Meſopotamia dicitur, inter Euphratem & Tigrin ſita. Protenditur in longum ab Aquilone in Auſtrum à monte Tauro ad mare rubrum, in ſe continens has nationes, Parthos, Medos, quibus ab Aquilone copulatur Chaldæa, in qua eſt illa celebratiſſima Babilon, locus captiuitatis tribus Iudæ ſub arrogantiſſimo Nabuchdonoſor. Ab Auſtro adiacet Arabia usque ad mare rubrum, quod illis in locis Sinus Arabicus uocatur. In eadem, ut Aquilonem reſpicit, ſituat Edeſſa ciuitas, antiquius dicta Rages Medorum, hoſpitium Tobiæ maioris, ducti in captiuitatem. Afferunt quidam rationem, qua congruè exiſtimant, hanc partem Syriæ Meſopotamiam appellari, eò ſcilicet, quia eſt medians inter aquas, quæ ſunt Tigris & Euphrates.

TERRA ſanct. quæ

Palæſtina.

Conſulendi Plinius lib. 5. cap. 12. Mela lib. 1. cap. 6. Oroſius lib. 1. cap. 2.

Secunda Syriæ magnæ pars Cæleſyria nominatur, cuius initium eſt à flumine magno Euphrate ad riuum Vallaniæ, cuius

Cæleſiria.

decurſus

decurſus eſt ſub caſtro Maragd:ingreditur autem mare magnum, id eſt mediterraneum iuxta Vallaniæ villam, leuca vna diſtantem è prædicto caſtro. Celyſyria complectitur Antiochiam cum ſuffraganeis vrbibus ſuis,& Laodiceam & Apameam,aliasq; plures. Tertia pars eſt Syria Phœnices, cuius principium ſumitur à riuo Vallaniæ ex Aquilone, protenditurq; contra Auſtrum vſq; ad petram inciſam ſub monte Carmelo, qui locus tempore noſtro Peregrinorum caſtrum dicitur,eſtq; ſub ditione militiæ templi. Syria Phœnices comprehendit Maragd,Antoradum Tripolin,Berytum,Sidonem,Tyrum,Achon & Capharnaum. Quarta pars,Syria Damaſci appellatur,eò,quòd Damaſcum, vt Dominij ſedem continet. Ab alijs Syria Libanica dicitur,eò,quod Libanus, mons deliciosus & egregius,in ea ſituatur. Quinta pars magnæ Syriæ eſt Palæſtina dicta,quam deſcribere intentionis noſtræ eſt. Hanc tamen ſubdiuidere prius, inutile non erit. Igitur Palæſtina in tres portiones partitur: Prima eſt, cuius Metropolis eſt ſancta Hieroſolyma, continens omnes colles & montes eiuſdem,cuius extenſio eſt vſq; ad mare mortuũ,deſertumq; Cadesbarne. Secũda eſt, cuius metropolis eſt Cæſarea maritima, hæc amplexatur totam Philiſteorum regionem, originem capiens à Petra inciſa, quæ & caſtrum peregrinorum dicitur,vſq; Gazam,Philiſtijm vrbem,tendens contra meridiem. Tertia eſt,cuius metropolis exiſtit Bethſan,ſuper Gelboë monte conſtructa,iuxta Iordanem fluuium. Hæc antiquitus Scythopolis dicta fuit. Hæc propriè Galilæa,ſiue campus magnus Eſdrelon,qui & Maragdo,nuncupatur. Arabia ſimiliter in tres partitur: Partis primæ, metropolis eſt Boſra,quæ nunc Buſereth,olim Perſa. Eidem copulatur ab occaſu Trachonitis regio, & Ithuræa. Damaſcus autem ferè a Septentrione, qua de cauſa Syria Damaſci,nonnunquam Arabia nominatur,propter quod Aretas,rex Arabiæ dictus eſt,cùm tamen rex eſſet Damaſci. Secundæ partis metropolis eſt Petra vrbs, olim Nabath dicta,ſuper Arnon torrentem ſita. Pars hæc continebat filiorum Ammon dominium, etſi Ar ciuitas ex Moab dominio exiſteret.Item complectabatur regnum Seon,Eſebon,regnumBaſan ac Galaad montem, copulaturq; primæ parti Arabiæ ab Auſtro. Tertiæ partis metropolis eſt Mons regalis, qui nunc Ca-

Phœnice.

Damaſcena.

Palæſtina.

Arabia.

rach, antiquitus Petra deſerti dicta fuit, ſupra mare mortuum conſtructa. Pars hæc continet terram Moab, quam & Syriam Sobal ſcriptura appellat, continet & totam Idumæam, ſiue Seir montem, omnemq; regionem circa mare mortuum, vſq; Cadesbarne, & aquas contradictionis, verſus rubrum mare per altiſsimas & ferales ſolitudines, vſq; ad magnum Euphratem. Hæc eſt Arabiæ magnæ pars, in qua Mecha eſt ciuitas, deteſtabilisq; Mahumeth ſepulchrum. Hactenus de ſitu regionum, Terræ ſanctæ adiacentium, dixerim ſatis. Animaduertaſq; deuotiſsime Lector, quę à me deſcripta ſunt huc vſq; non ex mea merè ſententia proceſſerunt, ſed ex libro venerabilis ac doctiſsimi Patris, Domini Iacobi de Vitriaco, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legati in Terra ſancta, excerpta fuerunt. Cæterùm ad veridicam, ſicut iam polliciti ſumus, Terræ ſanctæ deſcriptionem, ſtylum vertamus.

* *Hic uixit Friderici II. Cæſaris temporibus. Vide* * *Trithemiũ de ſcriptoribus Eccleſiaſtic.*

PRIMA DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ VERſus aquilonem.

CAPVT II.

TErram ſanctã, vt propoſitum eſt, in quatuor portiones diuidimus, quatuor cœli plagis correſpondentes, Ortui, Occaſui, Arctico & Antarctico: licet portio eius tota occidua ad mediterraneum mare ſe vertat. Incipiam ergò primò recta linea ab Achon, antiquitus Ptolemaida dicta, verſus arcticum progrediens, vrbes, locaq; notiora deſcribens, in magni maris, id eſt, mediterranei littore diſpoſita.

DESCRIPTIO ACHON §. 2.

PRimum igitur deſcriptionis initiũ ſumo ab Achon, recta linea procedens verſus Tyrum, inde ad alias vrbes, in hac portione aquilonari contentas. Achon ciuitas, munitiſsima eſt parietibus, turribus, propugnaculis, vallo, alijſq; electis defenſorijs, triangulã ſortita figuram more clypei, cuius partes duæ cinguntur mari, tertia planiciẽ reſpicit, qua circumdatur. Planities illa latitudinis eſt

trium leucarum,& alicubi quidem plus, alicubi verò minus. Admodum fertilis eſt in agris, vineis, paſcuis, viridarijs: quæ diuerſorum generum fructibus ſapidiſsimis ornatur, eſt & munita militia multa. Hoſpitalis, Templi & domus Teutonicæ,& arcibus & caſtris,ſiue fortalicijs,quæ ad Regem ſpectant. Portum tutiſsimum & amplum pro locandis ſeruandiſq; nauibus habet. Sita eſt in Phœnices Syriæ prouincia,ab Auſtro habens Carmelum montem ad quatuor Leucas & vrbem, Caipham nuncupatam, in pede eiuſdem montis conſtructam vltrà torrentem Ciſon,vbi ſanctus ille Propheta,Helias,idolatras,Baal ſacerdotes,interemit. Poſtremo ſcias,ſtudioſe lector, quòd Achon nunquam fuit, terræ ſanctæ annexa, nec Iſraëlitæ poſſederunt eam, etſi in diſtributione terræ promiſsionis tribui Aſer deſignata fuerit. Hæc eſt illa Achon, dicta Ptolemaida,de qua ſic legimus in 1. lib. Maccabæorum cap. 10. Et anno centeſimo ſexageſimo,aſcendit Alexander, Antiochi filius, qui cognominatus eſt nobilis, & occupauit Ptolemaidam, & regnauit illic.

Sacræ militiæ ordines.

Ciſon.

D. * LAMPERTI CASALIS ET caſtri Sandalij §. 3.

** Litera hac initiali auctori denotatur uox: deſcriptio.*

AB Achon trium leucarum interuallo eſt Caſale Lamperti, adiacens mari ſub Saron monte conſtructum, vineis ſimiliter & viridarijs fructiferis, fontibus & fluuijs decoratum. Inde pertranſito Saron monte tribus Leucis inuenimus ſandalium caſtrum, ab Alexandro obſidente Tyrum conſtructum, iam dirutum & deuaſtatum,ſed Balduini, Ieruſalem regis,opera inſtauratum, quod nobilibus,inde denominatis, tradidit poſsidendum. Hîc prata amœniſsima, pinguia paſcua,ficeta,oliuêta,vineæ,flumina,viridaria quàm plurima exiſtunt. De his nihil inuenimus in ſcripturis ſacris vtriuſq; legis.

D. PVTEI AQVARVM VIVENTIVM, quæ fluunt impetu de Libano §. 4.

A Sandalij caſtro per Leucam,parumq; ſuper, puteus eſt ille mirabilis viuentium aquarum, iuxta viam petentibus Tyrum

Tytum per iactum arcus, cuius aquæ ex canticis Salomonis cap. 4. fluunt impetu de monte Libani. Nolo tamen te latere, ſtudioſe Lector, etſi puteus ſingulari numero dicatur, verè tamen ſunt 4. eiuſdem diſpoſitionis, at inæquales magnitudine. Nam qui inter 4. præcipuus eſt, 40. cubitorum eſt longitudinis, latitudiniſq;, vt ego ipſe metitus ſum, vendicans ſibi figuram tetragonam. Tres reliqui 25. cubitos obtinent earundem dimenſionum, parietibus ſolidiſsimis ex lapidibus optimis, & opere indiſſolubili circumdati, in altitudine vnius haſtæ & amplius. In eis adeò aggregatur aqua, & eleuatur, vt vndiq; extra parietes defluat. Attamen ibi ſunt aquæ ductus, per riuulos diſpoſiti inde deſcendentes, tantæ profunditatis, tantæq; latitudinis, quanta eſt hominis altitudo, cuius rei me ipſo periculum feci, ingreſſus canale, quo fluit aqua, & pedibus ſtans. Deducuntur aquæ per Tyri totam planiciem, irriganturq; affluenter viridaria horti Canamellę, illic plurimum copioſæ, ex quibus Tyri princeps annuos reditus in gentes recipit. Diſtant præſcripti fontes à magno mari mediterraneo iactu arcus, & modico amplius, quorum defluxu ex breui interuallo rotantur ſex molendini rotæ magnæ latitudinis, & cum in mare ſe recipiunt, continuò abſorbentur. Fontibus his non abs re conuenit illud Eccleſiaſtici cap. 24. Rigabo hortum plantationum mearum, & inebriabo partus mei fructum, & ecce factus eſt mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.

D. TYRI §. 5.

A Puteo aquarum viuentium minus Leuca diſtat Tyrus, vrbs celebratiſsima in vtriuſq; legis ſcriptura, à Tyras, Iaphet filio conſtructa poſt Diluuij magni inudationem, ſed à Phœnice inſtaurata, propter quod & Syrię Phœnices metropolis conſtituta eſt. Solidiſsimo & lato pariete circumdatur, ac iudicio meo Achonenſi vrbe, amplior, figuram obtinet circularem in corde maris ſita ſuper firmiſsimam rupem, omni parte mari cingitur, excepto vrbis fronte contra ſolis ortum, vbi opera Nabuchodonoſor primò deinde Alexandri terræ effecta eſt contigua, quan-

¶ *Alter Iuſtinus li. 16. Adde inſuper, q̃ Gallinus habet lib. 14. cap. 6.*

tum eſt lapidus iactus. Sed & ex ea parte quadruplici pariete miræ denſitatis altitudiniſq; cingitur ad 24. pedum ſpacium. Inſuper parietes illi muniti apparent 12. turribus, quibus ſimiles in toto orbis circuitu me vidiſſe non memoror: turribus ipſis arx fortiſsima ſiue caſtrum continguatur, in rupe, in cordeq; maris firmatum, turribus ſimiliter & palatijs regijs ſtructum, quæ toti mundo meritò inexpugnabilis exiſtimari deberet. Plures in Tyro ſeruantur ſanctorum venerandæ reliquiæ, auro chariores, vt refert Eccleſiaſtica hiſtoria, præſertim fortiſsimorum Martyrum, qui ſub Diocletiano glorioſa morte teſtantes catholicam fidem, æternam aſſecuti ſunt coronam, quorum numerum nouit ſolus ille, qui omnia in numero conſtituit. Origenes in Tyro in ſancti ſepulchri Eccleſia iacet, pariete concluſus, cuius titulum & vidi & legi. Columnæ marmoreæ, alijſq; precioſi lapides, ibi ſunt tam mirandæ magnitudinis, quòd videntibus ſtupor inſurgit. Archiepiſcopalis illic ſedes eſt. Eſt enim, vt diximus, Phœnices Syriæ metropolis, habens ſuffraganeos Epiſcopum Beryti, Sidonis & Achon: protenditurque metropolis hæc vſque ad Petram inciſam ſub monte Carmelo, quæ & caſtrum peregrinantium dicitur. Decem dierum ſpatio moras protraxi in Tyro, plurieſq; eam vrbem & diſpoſitionem conſiderans, diligentia omni notaui. Ante eiuſdem vrbis ianuam, ad ortum ſitam, iactu duarum ſagittarum, inter copioſiſsimas & ſpacioſas arenas, oſtenditur IESV CHRISTI prædicationis locus, vbi & mulier illa exclamauit: Beatus venter, qui te portauit. Lapis magnus ibidem apparet, ſuper quem ſtans Saluator aliquando, & ſedens declamabat, & populos docebat. Locus ille nunquam ſub arena occultatur, et ſi leuis minutiſsimaq; ſit, ſoleatque vento agitari, circumferri, & in cumulos reduci, veluti nix hyemali tempore flante Borea in partibus occiduis. Eſt & in eodem loco columna quædam in longum ſtrata, vbi famoſum eſt, peregrinos quoſdam illàc tranſeuntes, ab rabidis & peſsimis Sarracenis fuiſſe necatos. Hæc de Tyri deſcriptione ſatis. De qua ſic memoratur Ezechiel cap. 17. O Tyre, tu dixiſti, perfecti decoris ego ſum, in corde maris ſita.

Monumentum Origenis.

¶ *Vide C. lib. 11. tit. 21.*

Glabretum

D. E L E V-

A Tyro ad tres leucas admodum breues Eleutherus flumen mari recipitur. Procedit ex Ithuræa,ſiue Galilæa gentium, ex confinio, quod olim Roob terra;& prius Rabul: profluitque iuxta caſtrum dictum, Belfort, quod extitit militiæ templi iuxta Horma, vſquequò inclytus Ioſue dux Iſrael 24. Reges inſecutus eſt. De Eleuthero flumine ſic legimus in libro primo Maccabeorum cap.11. Et abijt Ionathas cum Rege vſque ad fluuium,qui vocatur Eleutherus, & reuerſus eſt in Ieruſalem. *Belfort.*

D. SAREPTÆ SIDINIORVM. §. 7.

AB Eleuthero fluuio,interuallo duarum leucarum,eſt Sidoniorum Sarepta,in qua,vt legimus lib.3.Reg. cap.17. apud viduam habitauit Helias Propheta, ab eadem ſuſtentatus,cuius filium ad vitam reuocauit,oſtenditurque cænaculum illic,in quo idem Propheta quieuit. Sarepta hoc tempore vix 8. domibus conſtat,cuius tamen ruinæ & defectiones,glorioſam extitiſſe,declarant. *Elias vates.*

D. SIDONIS. §. 8.

A Sarepta ad duas leucas extat Sidon, vrbs præclara Siriæ Phœnices, cuius gloria & celſitudo,quanta fuerit,ipſæ ruinæ docent, quæ etiam deſcriptæ, incredibiles fermè haberentur. Conſtructa autem erat in planicie,extendens ſe ab Auſtro verſus Aquilonem inter Antilibanum montem, & oram maris, ſub monte ſiquidem ipſo in plano diſpoſita, ſpacioſa erat valde. Et quidem deſtructionem eius annunciatam ſic in Propheta Ieremia legimus cap. 28. Diſsipabitur Tyrus & Sidon cum auxilijs ſuis. Et in Ezechiele cap.28.Ecce ego ad te Sidon,dicit DOMINVS. Immittam enim peſtilentiam & ſanguinem in plateis eius, & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum, & ſcient, quia ego Dominus. Ex reliquijs Sidonis antiquæ,alia quidem,ſed parua ædificata eſt vrbs,admodũ munita, & vallata,ſi defenſores adeſſent,

adeſſent,eſtq; ex vna parte in corde maris ſita,habens duo munitiſsima caſtra,vnum quidem ab Aquilone ſuper rupem in corde maris firmam & complantatam, à peregrinis, ex Teutonia proficiſcentibus Ieruſalem ſanctam,ædificatum: Alterum in Auſtrali parte ſuper collem, & non minus firmum, ac difficile ad expugnandum. Caſtra quidem hæc & vrbem detinent milites templi. *Templarij.* Terra autem adiacens vberrima eſt,omnibus bonis referta, aëre ſaluberrima. Illic canamellæ, vineæq; delicioſæ nimis. Ante Ianuam antiquæ Sidonis ad ortum, conſtructa exiſtit capella in loco,vbi Chananæa, pro filia dæmonicaca precata eſt Saluatorem. De qua ſic legimus Matthæi cap.15. quod egreſſa à finibus Tyri & Sydonis,venit ad Ieſum. Locus ille eſt in via , qua tenditur Ithuræam Cæſareamq; Philippi. *Antilibanus.* Antilibanus mons , per Leucam, verſus orientem,ab antiquæ Sidone diſtat. Mons ille exordium capit ſupra Eleutherum fluuium, protenditurq; vltra Tripolin, circiter 5 leucis, niſi iuxta Tripolin , vbi verè diſtat tribus leucis,interdum tamen ita ad mare accedit,quod locus eſt omninò meabilis. Antilibanus mons conſitus eſt optimis vineis, ſecundum illud memorabile eius: Vt vinum Libani; extenditurq; huius vini precioſitas vſq Maragd.

D. BERYTI §.9.

PRocedenti vltra Sidonem nouem Leucis offertur nobilis & antiqua Berytus ciuitas,in qua famoſum eſt,Saluatorem noſtrum declamaſſe & docuiſſe. Illic Iudæi cæci,ex inuidia agitati, imaginem Ieſu benedicti in cruce pendētis ex farina & aqua conſinxerunt,cui illudentes,eam demum crucifixeruut, ſanguinis ab ea copia magna effluxit, qui in tempeſtate noſtra pluribus in locis ſacris maxima deuotione colitur. Beryti Epiſcopus, ſicut & antiquæ Sidonis, ſuffraganeus eſt Epiſcopi Tyrienſis, cuius metropolis vltra tres Leucas in flumine, paſſus canis nuncupato, quod & ibidem vaſtum mare ingreditur,terminari mihi ſignificatum eſt. Eodem in loco finis ſtatuitur patriarchatui Ieroſolymitano & Antiocheno, comitatuiq; Tripolitano. Situs loci ſic diſpoſitus eſt , vt ferè ſit impertranſibilis, niſi accedente aſſenſu Sarraceno-

racenorum. Ad eius ſiquidem cuſtodiam & defenſionem pauci ſufficiunt, ideò ob difficultatem Paſſus canis nuncupatus eſt. De Beryti nobilitate & conſtructione nullam in ſacro eloquio mentionem reperio, excepto eo quòd legimus in libro Iudicum cap. 9. ſic ibi ſcribitur: Ingreſsi ſunt fanum Dei ſui Berith: & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde. *Paſſus canis.*

D. BYBLII. §. 10.

A Beryto ad ſex leucas ſupra mare tendimus Byblium, quod eſt Patriarchatus Antiocheni ciuitas prima: poſt Antiochiam Byblij dominator eſt Comitis Tripolitani vaſallus. Diebus noſtris non Byblium ſed Giblet appellatur. Eſtq; vrbs admodum parua. Byblium allegatur ab Ezechiele in commendationem Tyri cap. 31. Senes Byblij & prudentes eius habuerunt nautas in miniſterium variæ ſuplectilis tuæ.

D. BOTRI VRBIS ANTIQVÆ. §. 11.

VLtra Biblium ad quatuor leucas fuit* Brodum, opulenta nimis quondam ciuitas, ſed nunc penitus euerſa defecit. Botrum æſtimatur dicta fuiſſe ex precioſiſsimo vino, quòd in ea regione producitur, & vbiq; ex ſua virtute celebratur. De Botro in ſacro canone nihil deſcribitur.

* Ptolo*meo* Βότρυς.

D. NEPHIN CASTRI. §. 12.

EX Botro ad caſtrum Nephin interiacet trium leucarum ſpacium. Eſt inter maris vndas conſtructum ferè ſecundum ſe totum: poſsidetur ab Antiocheno Principe. In eo 20. excelſas & munitiſsimas turres numeraui. Vinum illic productum adeò nobile cenſetur, vt ſupra omnia earum regionum vina laudem obtineat. De Nephin in ſacris ſcripturis nihil habemus.

D. TRIPOLIS. §. 13.

EX Nephin caſtro menſis duabus leucis, contuli me Tripolim, nobilem quidem valdè, & ferè totam in corde vaſti

D pelagi

pelagi ædificatam, veluti Tyrus admodum populoſam. Inhabitant enim eam Græci, Latini, Armenij, Maronitæ & Neſtoriani, aliæq; diuerſorum morum nationes. Sericum illic plurimum abundat, fiuntq; ex eo artificia multa, & precioſa ac decora viſu. Fida relatione habui, quòd in ea ſerici & zameloti textores ſunt quatuor millia & ſupra. Regionem adiacentem deliciarum paradiſum appellare non inconuenit ob innumeras amænitates in vineis, oliuetis, ficulneis & camellis, quibus omnibus similia in reliquis mundi partibus me vidiſſe non memoror, etſi plures annos in varijs prouincijs peragrandis conſumpſerim, præſertim in Orientali plaga, in qua nobiliores effectus ex ſyderum efficacia produci creduntur. Campus ante vrbem longitudinem continet vnius Leucæ, latitudinem verò dimidiæ, in quo viridaria ordine miro diſpoſita ſunt, & in tanto numero, totq; fructus inde annuatim percipiuntur, quòd dominis ſuis trecenta millia Byzantiorum ex auro valent. ¶ Libanus tribus Leucis à Tripoli diſtat, in cuius humiliori parte ortum habet fons hortorum, fluens impetu de Libano, vt ſcribitur Canticorum cap. 4. Fons hic in ſuo ortu exiguus apparet, ſed modico interiecto ſpacio adeò inualeſcit, quod flumen magnum efficit in planicie Tripolis, hortos irrigat, & Libanum montem plurimum commendat. Aquæ eius lympidiſsimæ, dulces, frigidæ & ſalubres exiſtunt: ſuper eius riuos Eccleſiæ multæ, pluraq; religioſa loca conſtructa reperi. Oritur, vt dixi, ex Libani radice, & pro aliqua ſui parte montem Leopardorum circuit, inde per hortos deducitur, gratia irrigandi. Sectus in tribus riuis magnis profectò mari ſe recipit, præter riuos alios minores quidem, qui diuerſis locis maria petunt. Et de hoc præclariſsimo fonte puto verum eſſe, quod in Heſter capitulo nono dicitur: Fons paruus creuit in flumen maximum, & in aquas multas redundauit.

Vis telæ ſericæ.

Orientalis plagæ nobilitas.

Fons hortorum.

D. MONTIS LEOPARDORVM. §. 14.

EX Tripoli ad duas leucas ſituatur Leopardorum mons, aſpectu figuræ ſphericæ in altitudinem ſe tollens, à Libano diſtans

ſtans per leucam. In eius baſi aquilonari ſpecum reperi, in quo monumentum conſtructum eſt 25. pedes habens in longitudine, quod Sarraceni colunt & frequentant, ſuadentes ſibi, illud eſſe magni Ducis Ioſuæ. Sed procul dubio falluntur. Legimus enim in lib. Ioſuæ cap. 24. Sepultum fuiſſe in finibus poſſeſsionis ſuæ in Tamnat ſar, quæ ſita eſt in monte Ephraim à Septentrionali parte montis Gaas. Ego quidem ſuſpicor, monumentum illud fuiſſe Chanaan, filij Cham, filij Noë, vel alterius filij eius, eò quòd in hac regione protraxerunt plurimum vitæ tempus, vt infrà declarabitur. Interuallo trium leucarum contra Aquilonem ex præfato ſpecu mons Antilibanus, & Libanus terminantur. De Leopardorum monte ſic legimus Canticorum cap. 4. Coronaberis ſponſa de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.

DESCRIPTIO ARACHAS caſtri §. 15.

IN terminos Libani & Antilibani offendimus caſtrum Arachas, ab Arachæo, filio Chanaan, exacto Diluuio conſtructum, & ſuo nomine denominatum. Regio hæc, & præſertim vbi Libanus finem habet, ſpecioſa eſt & fertilis plurimum, de cuius ſitu & longitudine loquemur, cùm ad Cæſeream Philippi & Iordanis originem intentionem conuertemus.

D. OPPIDI SINON SIVE SINOCHIN. §. 16.

AB Arachas caſtro, media leuca ad orientem, extat Sinon oppidum, à Sineo, Chanaan filio, Arachi fratre, poſt Diluuium conſtructum. Scito tamen, Neſtorianum quendam, ibidem incolam, mihi certa notitia aſſeruiſſe, non Sinon at Sinochin appellari. Idem mihi & Sarracenus quidam affirmauit. Sub Sinochin & Arachas planicies amœna delicioſa & fertilis valdè, vſque Carath caſtrum, quod Hoſpitalis ſancti Iohannis poſſeſsio fuerat, extenta eſt, decem leucarum longitudiuem habens vſque Antaradum, qui nunc Tortoſa nuncupatur. Planicies hæc caſalibus multis habitatur referta pulcher-

rimis ſyluis oliuarum, ficuum, aliarumq; diuerſi generis arborum quibus ſimiles in occiduis partibus paucisſimas vidi. Exuberat præterea fluuialibus & clarisſimis vndis, paſcuisq; electis, hac de *Turcimani.* cauſa: Mædianitæ & Turcimanni, & Beduini, illic in mapalibus habitant cum vxoribus, filijs, ſeruis, pecoribus & camelis *Beduini.* ſuis. Contigit mihi tranſeunti gregatim videre plura camelorum millia. Planiciem hanc cingunt montes quidam, ab oriente non multum lati, qui iuxta Arachas initium capiunt, protendūturq; vſq; Baracha. Montes hos habitat genus quoddam Sarracenorum, qui Vanini appellantur, gens fera, peſsimorum morum, *Vanani.* & Chriſtiani nominis inimica. Nam Chriſtianos inſequuntur, depopulantur & perimunt.

¶ Infrà part. 2. ca. 7. § 8. uocat Vhanos.

D. ANTARADI ET ARADI §. 17.

EX Arachas & Sinochi, dimenſis octo leucis, veni in Antaradum, per planiciem præſcriptam. Antaradus quidem dicitur, quaſi ante Aradum. Eſt enim Aradus inſula maris, media Leuca diſtans à terra, in qua ciuitas electa quondam fuit, noſtriſq; duobus adhuc extat, imminuta tamen, quæ ex inſula nomen traxit, vnde Aradus dicta fuit. De Arado ſic loquitur Ezechiel cap. 27: Filij Aradij ſuper mores tuos cum exercitu ſuo. Conditor Aradi creditur Aradius, Chanaan filius, poſt Diluuium. Intellige igitur, ſtudioſe Lector, Cham, Noë filium, genuiſſe Chanaan, & Chanaan genuiſſe, vt legimus in libro Geneſis cap. 10. Sidonem primogenitum, Hethæum, Iebuſæū, Amorrhæum, Gergeſæum, Heuæum, Arachæum, Sinæum, Aradium, Summaraum & Hamathæum, & per hos diſſeminati ſunt populi Chananæorum. Hæc ibi. Ex his vndecim, Sidon primogenitus Sidonis vrbis conſtructor fuit Arachæus. Arachas caſtri, Sinæus Sinochin, Aradius Aradi. Hi quatuor terram hanc & regionem ſibi elegerunt contra principium Libani. Reliquos dimiſit Deus maximus inter filios in Iſrael, vt arte præliandi exercerentur. Pyramides, ſub quibus prædictorum quatuor diſpoſita fuere monumenta, apparent etiam hodie circa Antaradum ad Leucam vnam, ſtrues profectò magnfici ſumptus mirandæq; magnitudinis illic lapides

Pyramnides ſepulchrales.

connexi

connexi fuere. Nam menſus ſum lapides longitudinem conti- nentes 26. pedum, ſimiliter latitudinis tantundem, profunditatem verò ad ſtaturam magni hominis, adeò quòd miraculum ac ſtuporem præſentant peregrinantibus, quomodo eleuari, in ædificioq; huiuſmodi collocari potuerint. In Antarado Ampliſs: Petrus diebus multis de fide, de lege gratiæ, de humani generis reparatore declamauit, & docuit. Ibi Clemens genitricem ſibi cariſsimam inuenit, ibi Apoſtolus Petrus primam in honorem Chriſtiferæ virginis Eccleſiam conſtruxit, quæ & hodiè permanet, in qua ego licet indignus eiuſdem ſeruus, ſacrificium Deo acceptabili obtuli Nam ibi ſex diebus quieui, eò quòd itinerum ac peregrinatinum aſperitate defatigatus eſſem, & affectabam de illis regionibus erudiri.

D. MERGATH CASTRI. §. 18.

AB Antarado ſeptem leucis diſtat caſtrum Mergath, * quod ſub dominio eſt Fratrum hoſpitalis ſancti Ioannis, ſuper Vallaniam, diſtans à mari per leucam, munitum valdè. Et Vallania ad euincendum Sarracenorum inſultum, in caſtrum eſt translata Vallaniæ Epiſcopus eſt Apemienſis Archiepiſcopi ſuffraganeus. Incipit ibidem Antiochenus principatus, terminatur autem comitatus Tripolitanus. Diſtat dietis octo ab Achon, ab Antiochia autem dietis quatuor. Et licet vltrà profectus fuerim in regione hac, diligenter ſingula contemplans, tamen de ipſa nihil a me ſcriptum erit. Non enim propoſui, nec meæ fuit intentionis, aliquid de ea conſcribere, ſed tantùm de promiſsionis terra, quam ſanctam vocare conſueuerunt ſcriptores.

* *Melæ Marathos. Vallania.*

SECVNDA DESCRIPTIO TERRÆ SANCTÆ VERſus Boream.

CAPVT TERTIVM.

D. CASTRI MONTIS FORTIS §. 1.

IN hac mea ſecunda deſcriptione verſus Boream progredi intendo, incipiens vt ſuprà ab Achon. Dico igitur, quòd ab Achon 4. leucis contra Boream tenditur ad caſtrum, Mons fortis nomine, quòd ſub Teutonicorum hoſpitali fuit, nunc verò prorſus defecit.

D. THORON CASTRI §. 2.

POſt caſtrum Montis fortis ad 4. leucas ſe offert Thoron caſtrum, munitum valdè, & difficile ad expugnandum, quod Tiberiadis Dominus contra Tyrum ædificauerat, dum Sarraceni Tyro dominarentur. Diſtat autem à Tyro leucis ſeptem.

D. VRBIS ASOR §. 3.

A Thoron caſtro 4. leucis diſtat antiqua vrbs Aſor, quæ regis Iabin ſedes extitit, apud quam Ioſue & Iſrael filij cum 24. Regibus prælium commiſerunt, & deuicerunt. De Aſor ſic legimus in libro Ioſuæ cap. 11. Reuerſuſq; Ioſua, ſtatim cæpit Aſor, & Regem eius percuſsit gladio. Aſor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. Hæc ibi.

D. VRBIS, VELENAS NVNCVPATÆ §. 4.

VLtra Aſor ſex Leucis ferè contra Aquilonem eſt Velenas vrbs, in baſi Libani montis conſtructa. Hæc vt legimus in libro Iudicum cap. 10. Prius Lachis nuncupata fuit. Vnde ſic ſcribitur in eodem libro: Tradidit Dominus Lachis in manu filiorum Iſrael, & cæpit eam Ioſua, die altero. Hæc ibi. Et quoniam decem ferè leucis à Sidone diſtabat, habitatoreſq; eius nemini dextras dederant mutui ſubſidij filij Dan oppugnantes cæperunt eam, vocaueruntq; Leſedan, nomine patris ſui Dan. Sæpenumero tamen in ſcripturis ſacris ſimpliciter Dan appellatur. Sic enim legimus in primo Regum cap. 7. Congregatus eſt vniuerſus Iſrael à Dan vſq; Berſabee. Eſt enim Dan terræ ſanctæ terminus con-

Lachis.

Dan.

nus contra Septentrionem, Berſabee autem contra Auſtrum, ſecundum illud quarti Regum cap. 12. Venit Helias in Berſabee Iuda. Et infrà: Et ábijt in deſertum quod vtiq; Berſabee contiguum apparet. Berſabee autem nunc Giblin nominatur. At Philippus, Tetrarcha exiſtens Ithuræ & Trachonitidis regionis, ciuitatem Velenam, ſiue Dan, Cæſaream Philippi nuncupari inſtituit, A Græcis verò Panias dicitur. Sed hodie denominationibus his deficientibus, apud populos communiter Velenas eſt nuncupata.

Berſabee nunc Giblin.

DESCRIPTIO IORDANIS, QVO AD originem & decurſum. §. 5.

SVper Velenam vrbem in pede Libani ſitam, oriuntur hinc inde duo illi celeberrimi fontes, Ior & Dan, qui ante vrbis ianuam in vnum coniuncti, Iordanem inchoant fluuium, ſecundum quod apparet. Id vero dixerim quoniam ex rei natura ille non eſt primus Iordanis ortus. Inquit enim Ioſephus, * quod ex hoc loco menſis ferè mille ſtadijs contra orientem, repertus eſt, vaſtiſſimus fons, nomine Phiala, ſemper plenus, & nunquam ſuper effluens, ſed ſubterraneo meatu decurrit vſq; ad locum, vndè Dan fons emanat. Eſtq; probata ſententia, fontem Phialam poſt longum ſubterraneum defluxum emergere in Dan, cuius rei ſignum inde ſumitur, quòd paleæ in Phiala poſitæ ſub terra deſcendentes recipiuntur in Dan, &de hoc certiſsimum eſt periculũ factum. Sic ergò conſtat, primã Iordanis originẽ non à Dan & Ior, ſed à Phiala ſumendam. Sarraceni fontem illum non Phialam ſed Medam dixerunt, ac ſi velint dicere, Iſtæ ſunt aquæ Dan. Me ſiquidem Arabicè aqua eſt. Euangeliſta Matthæus locum hunc Magedan appellat in cap. 17. cum dicit Ieſum veniſſe in fines Magedan. Parum verò diſtat à Seneta vrbe iuxta patientis Iob ſepulchri pyramidẽ in Trachonitide regione. Sed de hoc infrà plenius dicetur. Iordanis poſt longos & tortuoſos circuitus, quib9 Trachonitidem regionem ab Ithuræa ſeparat, demũ inter Capharnaum & Chorozaim mare Galilææ ingreditur, 4. leucarum interuallo ab vrbe Cedar, ſuper montem ſita de qua infrà. Medio loco inter Velenam & ma-

** Libro 3. de bello Iudaic. cap. 18.*

Me Arabicè aqua.

Monumentum Iobi.

Chorazaim

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

& mare Galliææ eſt vallis quædam, quam defluxus Iordanis ingreditur, cùm niues ex Libano reſoluuntur, fitq; in valle aquarum collectio more ſtagni, quæ quidem collectio in ſcripturis ſacris aquæ Meron appellatur. Hic eſt locus, in quo Ioſua congreſſus eſt cum Iabin rege, alijſq; 24. Regibus, & victoriam obtinens, inſecutus eſt eos vſq; ad aquas Maſſerephot. Sic autem legimus in libro Ioſuæ cap. 11. Venit Ioſua & omnis exercitus eius cum eo aduerſos illos Reges ad Aquas Meron, & irruit ſuper eos, tradiditq; eos Dominus in manu Iſrael. Hæc Aquarum collectio æſtiuis caloribus pro maiori ſui parte exſiccatur, propter quod arbuſta & herbæ in modum ſyluulæ denſæ adeò creſcunt, quòd

Venatio regia. Leones, vrſi, aliaq; ſylueſtria ibi latitant. Et hæc ſunt regiæ venationes. Huius vallis medietas eſt in hac ſecunda partitione. contenta: Altera verò medietas in ſequenti partitione. Regio, quæ vltra vallem hanc in littore Iordanis eſt ad Orientem per totum vſq; Boſiam vrbem, ad ortum Solis in monte Sanir

Trachonitis. conſtructam. Qui Sanir copulatur monti Hermon in libro Ioſuæ cap. 11. Libani planities appellatur, ſiue Trachonitidis regio, eò quòd fluuialibus aquis penitus careat. Propterea regionis illius incolæ pluuiales aquas in brachilibus & ciſternis congregant, inde per trachones de loco ad locum deducunt, vt ſe ſuaq; iumenta ſeruent. Verùm quia de monte Libano & Hermon & Seir ſermo incidit, ideò plenius de eis dicendum, puto, ad ſcribendorum intelligentiam perfectam. Scito igitur, & pro certo teneas, montana, quæ ſunt ſuper torrentem Arnon, & quæ mediant inter Arnon & Moab, & Ammorhæos, item mons Galaad, ſitus in regno Og, regis Baſan, & mons Seir, & Hermon & Libanus, ſunt realiter mons vnus continuus, ſed diuerſis regionibus diuerſa ſorti-

Galaad, Seir, Hermon, Libanus, unus montium tractus. tur nomina. Idem apparet in Alpibus, quibus ſeiungitur Alemania ab Italia. Mons tamen Galaad inter omnes præcipuus eſt, & eminentior. Videtur enim aliorum quaſi caput: propter quod ſuadeo mihi, ad litteram illud Ieremiæ dictum: Galaad in caput Libani. Galaad monti copulatur Sanir, qui & Seir dictus eſt. Illic enim habitauit Eſau, Sed plenius de hoc infrà. Eidem copulatur mons Hermon, circuiens Trachonitidem regionem, & protendens ſe vſq; ad Damaſcum, vbi Libano vnitur inter Velenam &

nam & Damaſcum. Libanus ſuper Damaſcum iudicio meo ſublimior eſt, quàm totum ſui ſpacij reſiduum. Ex hoc loco ad Tyrum II. interiacent leucę, & tamẽ exiſtenti in Tyro manifeſtiſsimẽ apparet, & ego in media nocte lucidè ipſũ intuitus ſum. Continet in longitudine quinq; dietas, & toto illo ſpacio ſumitates habet coopertas niuibus, in ſui principio, ſc. contra Velenam 40. leucis diſtat à mari, in termino verò ſui, ſc. iuxta Arachas caſtrum, vix tribus diſtat. Nauigantes autem mare vident ipſum à Tyro vſq; Antaradum, & ſub ipſo Antilibanum. Libani & Antilibani valles optimè excoluntur, vberes ſunt paſcuis, vineis, hortis, pomarijs, & vno verbo, omnibus mundi bonis. Habitantes Libanum ſunt nationes variæ, vt Armenij, Græci, Neſtoriani, Iacobini, Georgiani, qui ſe Chriſtianos aſſerunt & ſuo dicto, Romanæ Eccleſiæ, obædientes. Sed de hoc nihil ad præſens. *Libani incolæ.*

DESCRIPTIO TERTIA TERRÆ SANCTÆ CONtra Vulturnum.

CAPVT IIII.

IN hac tertia deſcriptione ab Achon contra Vulturnum nunc procedendum eſt. Sic ergò incipiam.

D. IVDIN CASTRI §. 1.

PRocedenti ab Achon contra Vulturnum directè ſe offert ad quatuor leucas caſtrum Iudin, in Saron montibus locatum, quod elapſis temporibus ſub Teutonicæ domus cura extitit & poteſtate, at nunc penitus defecit. Inde leuca vna offenditur caſtrum, denominatum Regium, in valle ſub Saron montibus, eiuſdem Teutonicæ domus, vt ſuprà, precioſis, & perraris etiam illis regionibus fructibus abundans. *Caſtrum Regium.*

D. VALLIS SENNIM. §. 2.

A Caſtro Regio quatuor leucarum internallo contra aquas Meron, diſtat vallis Sennim, in qua Cineus tabernaculum

 diſpoſuit,

diſpoſuit, non longè ab Aſor vrbe, cuius vxor, dicta Iael, Siſaram, principem exercitus Iabin, regis Aſor, tabernaculi clauo per tempora transfixo, conſtanter interemit, vt legimus in lib. Iudic. c. 4.

D. BABVL AVT CHABVL.

EX valle Sennim dimenſis tribus leucis, tenditur Babul caſtellum, quod Sarraceni Chabul vocârunt, à quo terra illa Chabulin nuncupata eſt, quod diſplicentiam ſonat, vt legimus in tertio Regum cap. 9. quando Rex Salomon caſtra quædam Hiram obtulit, benè meriturus de acceptis beneficijs.

D. SEPHETH. §. 4.

EX Chabul duabus leucis intermedijs tenditur Sephet, munitiſsimum caſtrum, & iudicio meo firmius omnibus caſtris, quæ vnquam viderim, in ſublimi monte conſtructum, quod retroactis temporibus ſub regimine extitit Militiæ templi, ſed proditione & fallacijs captum in ignominiam detrimentumque Reipub. Chriſtianæ. Soldanus enim propter caſtrum illud inexpugnabile totam Galilæam detinet, ſc. tribum Zabulon & Neptalim & Iſaſchar & Manaſſe, & omnem regionem Achon & Tyrum & Sidonem.

Templarij.

D. VRBIS DICTÆ CEDES NEPTALIM. §. 5.

IN 4. leucis iuxta mare deuenimus in vrbem dictam Cedes Neptalim. Ex ea oriundus fuit Barach, filius Achinoë, qui cum Siſara, principe militie Regis Iabin, in monte Thabor congreſſus eſt. Hæc fuit ciuitas electa in refugium fugitiuorum. Sic enim legimus in lib. Ioſuæ cap. 20: Separatæ vrbes fugitiuorum, de quibus locutus ſum ad vos per manum Moyſi, vt confugiat ad eas, quicunq; animam percuſſerit neſcius. Et infrà: Decreueruntq; Cedes in Galilæa montis Neptalim. Hæc abundat omnibus mundi bonis, & hodie ruinæ magnæ ibi apparent, ſepulchráq; pulcherrima antiquorum.

D. MON-

benedictus frequentius aſcendebat. §. 6.

EX caſtro Sephet duabus leucis in deſcenſu montis contra Orientem ad iactum lapidis iuxta mare Galilææ ſupra viam, quæ verſus Orientem dirigit, eſt illius montis aſcenſus, in quem totiens legimus Saluatorem ſolitum aſcendere, ſuper quem Sermonem illum mortalem & prolixum dictauit, quem Matthęus refert cap. 5. ſaturauit ex quinq; panibus 5000. hominum: Dimiſſa turba aſcendit ſolus orare: latuit, cùm vellent eum conſtituere ſibi Regem: docuit diſcipulos orare, componens orationem Dominicam, vt ſcribitur Matthæi cap. 5. In eo pernoctabat in oratione: eidem deſcendenti ſupplicauit Centurio pro puero paralytico: ad eum venit multitudo languentium, qui vexabantur à Spiritibus immundis. Ex hoc monte totum Galilææ mare videtur. Ithurea & Trachonitidis regio vſq; ad Libanum. Inſuper mons Sanir, qui & Seir, mons Hermon, terra Zabulon & Neptalim vſque Cedar, vniuerſa Cenereth vſq; Dothaim & Beliam, aliaq; loca multa. Eſt autem extentus iactu duorum arcuum, latus autem iactu lapidis, & amplius, varijs herbarum florumq; generibus decorus, amœnus, ad prædicandum habilis. Adhuc permanet lapis illic, ſuper quem ſedit Saluator prædicans, & Apoſtolorum ſedilia, Chriſtianiq; appellant locum ipſum Tabulam, ſiue Menſam. In huius montis baſi iuxta mare Galilææ ferè 30 paſsibus fons viuus oritur, pariete circumdatus, quem incolæ credunt venam Nili, eò quòd coruum piſcem nutrit, qui nuſquam alibi reperitur. Ioſephus * fontem Capernaum appellat, eò quòd planicies ab hoc fonte vſque Iordanem trium leucarum longitudinem habens, Capernaum nominatur. Ex hoc fonte ad 20. paſſus ſuper mare Galilææ locus eſt, vbi Saluator, poſtquam à mortuis ſurrexit, in littore ſtetit, diſcipulis piſcantibus, cum dixit vt legimus Iohannis capit: 21. Pueri, nunquid pulmentarium habetis. Ibidem in lapide tria benedicti Redemptoris iam glorioſi & immortalis corporis veſtigia impreſſa & vidi, & tetigi in feſto clariſsimi ac diui patris Auguſtini, cùm illic me contuliſſem. Verùm cùm repetiſſem locum eundem in feſto feli-

Menſa.

* *Lib. 4. de bello Iudaic. cap. 18.*

ciſsimæ annunciationis. Sarraceni maledicti lapidē ipſum aſportauerant. Non enim venerantur mortis & reſurrectionis Dominicæ inſignia, ſed veluti pecora & gentes ſtolidæ ſtulticiam reputant, Inde ad 10. paſſus locum vidi, & deuotiſsimè contemplatus ſum, in quo diſcipuli in naui piſcantes prunas viderunt, & piſcem ſuppoſitum & panem, vt legimus Iohan. cap. 21.

Sarraceni rident monumenta Paſsionis Chriſti.

D. CAPHARNAVM. §. 7.

A Loco, vbi Reparator noſter in littore apparuit, ad Capharnaum mediat leuca. Fuit quidem Capharnaum glorioſa potenſq; vrbs, vt ex Euangelio nobis innoteſcit, nunc autem adeò deſolata eſt, vt vix 8. domunculas, ſed potius dixerim tuguria, habeat. Sicq; completa eſt infallibilis comminatio Saluatoris noſtri, declamantis, cùm dixit Matth. cap. 11: Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cœlum exaltaberis? vſq; in infernum deſcendes. Diſtantia duarum leucarum à Capharnaum Iordanis mare Galilææ ingreditur, in cuius vlteriori littore vrbis Chorozaim ruinæ adhuc videntur. Eſt enim penitus euerſa, atq; inhabitata. Sibi enim infallibilis veritas comminata fuerat, cùm dixit Matthæi cap. 11. Veh tibi Chorozaim. A Chorozaim ad leucam vnam, quorundam iudicio, incipit aſcenſus montis Sanir, & ingreſſus Idumææ.

D. CEDAR VRBIS. § 8.

A Chorozaim ad tres leucas extat Cedar, glorioſa nimis & famoſa tutiſsimo loco ſita in monte Sanir, ipſe eſt Seir contra Orientem. Sed de ea inferius plenè dicendum eſt. Per vrbem Cedar tranſit via, qua patet inceſſus per littus maris Galilææ, ducens ad Occidentem, vt legimus in Tobia cap. 1. Eſaias autem cap. 9. appellat eam viam maris trans Iordanem Galilææ gentium. Viam quidem maris dicit, quia in maris Galilææ littore proceditur trans Iordanem: nam vltra Iordanem deducitur in regionem Aran Galilææ gentium, eo quòd Galilæa ibidem in Iordane terminatur. A loco ingreſſus Iordanis in mare Galilææ, vſq; ad Cedes Ne-

des Neptalim, quam ſuprà deſcripſimus, quatuor mediant leucæ in quarti medietate alia eſt pars aquæ & Meron, de quibus ſuprà actum eſt. Egrediens autem Iordanis ex aquis Meron, dirigit defluxum primò contra Orientem, deinde contra Auſtrum & ſic mare Galilææ ingreditur.

D. SVEHÆ VRBIS. §. 9.

A Chorozaim & oſtio Iordanis decem leucis contra Aquilonem Sueha eſt vrbs, ex qua oriundus fuit Baldach Suites, de quo legimus in lib. 1. Iob. cap. 21. quòd ad patientem Iob & afflictum condolendi gratia profectus eſt. Iuxta Sueh hanc eſt pyramis, ſub qua creditur beati Iob monumentum contineri. Hoc tamen nobis non conſtat ex ſcriptura ſacra: nam in lib. Iob. cap. 42. nihil aliud habemus, niſi quòd mortuus eſt ſenex, & plenus dierum. De ſepultura autem nulla fit mentio.

D. TABERNACVLORVM CEDAR. §. 10.

SVb vrbe Sueha verſus Cedar Saraceni congregati conſueuerunt de Aran & Meſopotamia & Syria & Moab, & Ammon, ac ferè tota terra orientali circa Phialam fontem, de quo actum eſt ſuprà, & nundinas ibidem celebrant æſtatis tempore propter locorum amænitatem, eriguntq; tentoria diuerſorum colorum, quæ dum videntur ab egredientibus Cedar, pulchrum nimis & delectabilem generant proſpectum. Hæc ſunt tabernacula Cedar, quorum pulchritudini aſsimilatur ſponſa in Canticis cap. 1.

Eorundem nundinæ.

D. CEDAR. §. 11.

A Chorozaim tribus leucis contra Orientem eſt vrbs Cedar, in ſublimi monte conſtructa, quam Ioſephus Camelam * denominat. Siquidem mons, ſuper quem extat, ſecundum Cameli figuram diſponitur. In principio extentum eſt ad modum colli & capitis Cameli in medio gibbum habens, vt dorſum incipiens in fine declinare ad inſtar caudæ. Cedar quàm glo-

** Gamelam. Vide de bello Iudaic. lib. 4. cap. 1. & ſ & 2.*

¶ *Allegatio ἀλα-γ⊕. Lege quam Suidas habet in uoce κηδάξ.*

ſa & potens extiterit, ſcribit Eſaias cap. 21. ſic: Et auferetur omnis gloria Cedar, & reliquiæ numeri ſagittariorum fortium de filijs Cedar imminuentur. Et Ezechiel cap. 27. Vniuerſi principes Cedar, negociatores manus tuæ cum agnis & arietibus & hædis venerunt ad te. Rurſus autem reuertentes ad ea, quæ ſuprà tetigimus de planicie Libani & Trachonitide regione, & Galilæa gentium, pro pleniori noticia aduertas, ſtudioſe inueſtigator, quòd tota regio, vltra Iordanem in littore eius Orientali dicitur Trachonitidis regio, ſiue planicies Libani, vſq; ad montem Hermon & Boſra, littus verò Iordanis occidentale dictum eſt Galilæa gentium, ſiue Ithuræa, ſiue Babul ſiue Decapolis, & via maris tranſit per medium eius, ab Achon tendens per vallem Aſer, quæ nunc ſancti Georgij appellatur, habens Sephet à ſiniſtris. Et littus maris Galilææ per montana Trachonitidis regionis vſq; Cedar nuncupatur terra Aram. Vnde gloſa quædam ſuper principium Iob ſic ait: Aram, pater Syriorum, qui condidit Damaſcum & Syriam, genuit Hus, conditorem Trachonitidis regionis. Hic inter Celeſyriam & Palæſtinam principatū tenuit, ideo terra illa terra Hus ab eo denominationem ſumpſit. Propterea benè dixit ſcriptura: Vir erat in terra Hus, ſiue Huſirin, nomine Iob. Et hanc tenuit rexitq; Philippus, ſicut Ithuræam, quæ eſt circa Iordanem ad occidentem, vſq; ad montes Sidonis & Achon & Phœnices. Ab hac regione prædicta initium ſumit hæc tertia diuiſio, ſiue deſcriptio, ſicut & ſecunda præcedens, terminaturq; in Libano verſus Aquilonem, in Iordane verſus Orientem, in montibus Phœniciæ verſus Occidentem.

Trachonitidis.

Galilea gentium, alio nomine Ithuræa & Decapolis.

Aram.

DESCRIPTIO TERRAE SANCTÆ CONTRA Subſolanum.

CAPVT V. §. 1.

DEſcriptio quarta incipit ab Achon, tendens directè contra Orientem, à quo ſpirat Subſolanus, iuxta Sephetli caſtrum, illudq; relinquens à ſiniſtris, inde in littore maris Ga-

ris Galilææ ante Capharnaum & ante locum in quo Saluator Matthæum ex telonio vocauit, cuius domus & ſeſsionis locus etiam hodiè cernitur inſtrata regia, inde vltra Iordanem ad Hermon montana conſcendit. Sunt autem in hac quarta deſcriptione infrà deſcripta loca. *Mathæi telonium.*

D. CASALIS SAN GEOR. §. 2.

AB Achon directè contra Orientem 5. leucis eſt Caſale, dictum San Geor. Ibi enim creditur diuum Georgium fuiſſe progenitum, ſitumq; eſt inter montes in valle pingui, fertili & amœna, cuius amœnitas vſq; ad mare Galilææ protenditur. Et fuit vallis Aſer vſq; iuxta Sephet 10. leucis. Tanta autem eius amœnitas, vt verè completum ſit, quòd pater Iacob dixit, benedicens filio Gen. cap. 49. Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus, quod vtiq; verificatum comperimus in ſorte tribus Aſer.

D. NAASON. §. 3.

A Caſali San Geor vſq. Naaſon mediant 4. leucæ. Eſt autem Naaſon contra Auſtrum declinando aliquantiſper ad Orientem, de tribu Neptalim In valle ſita hæc eſt Naaſon, de qua ſic legimus in lib. Tobiæ cap. 1. Tobias ex tribu & ciuitate Neptalim, quæ eſt in ſuperioribus Galilææ ſupra Naaſon.

D. DOTHAIM. §. 4.

DOthaim à Naaſon diſtat 3. leucis, oppidum admodum amænum, vineis, oliuetis, paſcuiſque abundans, ſitum ſub monte Bethuliæ ad leucam vnam. Illic Ioſeph fratres inuenit miſſus à patre Iacob, vt legimus Gen. cap. 37. In agro adhuc oſtenditur ciſterna, in qua detruſus fuit Ioſeph, vt legimus Gen. cap. 37. quam vt peregrinans vidi iuxta viam à Galaad in Bethſaidam, quæ quidem via copulatur ei, qua eſt tranſitus à Syria in Ægyptum. Hac via venerunt Iſmaëlitæ, emptores Ioſeph, vt legimus Geneſis cap. 37. In hac via Syri vallauerunt Hæliſæum, cui

vt le.

vt legimus in lib 3.Regum cap.10.deduxit eos in medium Samariæ,quæ tamen diſtat inde ferè per dietam. Aduerte autem, ſtudioſe Lector, Dothaim aliquando ſumi pro oppido, aliquando pro regione,adiacēti ipſi oppido,quæ ab eo denominata eſt,& eſt terra campeſtris inter fructiferos colles contigua fontibus, imò paſcuoſa eſt,,& pecoribus alendis aptiſsima. Ad hanc regionem, denominatam Dothaim ab oppido,& non ad oppidum ipſum, deuenit Ioſeph miſſus à patre.

D. CIVITATIS NEPTALIM. §. 5.

NEptalim ciuitas diſtat à Naaſon duabus leucis contra Orientem à Dothaim, tribus contra Aquilonem,tutiſsimo loco ſita, penitus inacceſsibilis ex parte Orientali propter arctiſsimum ſpacium. Ex hac fuit Tobias,vt legimus Tobiæ 1.cap.Tobias ex tribu & ciuitate Neptalim. Hanc puto tempore excidij Ieruſalem, ſecundum Ioſephum Iotapatam dictam fuiſſe,in qua idem Ioſephus obſeſſus & captus fuit à Romanis,vt ipſe teſtatur, nunc autem Sirin appellatur, diſtans à Sephet parum plus leuca.

Vide lib. 3. de bello Iudaic.

D. BETHSAIDA. §. 6.

A Neptali tribus leucis in angulo maris Galilææ,vbi idem curuari incipit, ab Aquilone contra Auſtrum ſita eſt Bethſaida,ciuitas Petri, Andreæ & Philippi. Sic enim legimus Iohan. 1.cap.Erat autem Philippus à Bethſaida,ciuitate Petri & Andreæ. Nunc autem vix eſt in ea habitator. Completa eſt enim Saluatoris comminatio.Matth.11.Væ tibi Chorozaim,væ tibi Bethſaida.Iuxta viam,in qua tenditur ex Syria in Ægyptum,habuit antiquitus aquæ ductus à fluuio,quem Ioſephus paruum Iordanem appellat,medietate itineris,inter ipſam & Capharnaum & mare Galileæ,cuius aquæ ductus veſtigia adhuc permanent.

Paruus Iordanis.

D. MAGDALI. §. 7.

MAgdalum in ſcripturis ſacris duplex legimus, vnum in Ægypto,de quo ſic ſcribitur in libro Exodi cap.14.Reuerſi

caſtra

caſtrametentur è regione Philtairoth, quæ eſt inter Magdalum & mare. Et apertius in Ieremia ca. 44. ſic legimus: Iudæos, qui habitabant in terra Ægypti, habitantes in Magdalo & Taphnis. Et de hoc quidem deſcriptionem non intendimus, quam ad terram ſanctam non pertinet. Alterum eſt Magdalum, à quo denominata eſt Maria Magdalena, & de hoc eſt intentio nostra. Eſt igitur hoc Magdalum diſtans à Bethſaida duabus leucis, conſtructum in littore maris Galilææ diſtans à Bethulia tribus leucis contra Vulturnum ferè, habens ab occidentali parte & aquilonari planiciem latam & ſpecioſam. Et aduerte, hanc quartam diuiſionem non amplius continere villas aliquas citra mare Galilææ. In altero verò eiuſdem maris littore ſunt vrbes & caſtella quàm plura, ad hanc diuiſionem quartam pertinentia, in regione Geraſenorum, quæ huic directè eſt oppoſita. *Geraſeni.* In ea continentur hæ vrbes: Geraſa, Gader, Pella. Suha ex qua fuit Baldach Suihtes, Thema, ex qua fuit Eliphat Themanites, & aliæ quàm plures. Geraſa in littore maris Galilææ ſita eſt, ſub monte Seir, contra Tiberiadem ferè, parum tamen declinans ad Aquilonem; fueratq; pro vna ſui parte de regno regis *Seir.* Baſan, & pro alia ſui parte mons Seir appellatur, eò, quòd, vt infrà deſcribemus, Eſau fuit habitans in eo. Dicebatur inſuper mons Sanir, eò quòd continebatur in ea, item mons Hermon, quia & illic erat. Et ſic propter diuerſitatem locorum & montium terra illa variè denominata eſt. Tota tamen ceſſit in ſortem dimidiæ tribus Manaſſe, licet nunquam totam poſſederit. Filij enim Eſau pro parte habitabant in ea, vt legimus in libro Deuter. cap. 2. Vſq; in præſentem diē communi nomine dicuntur Sarraceni, quia nec ritu nec lingua diſcrepant ab eis, niſi fortè tonſura & habitu.

D. MONTIVM NVNCVPATORVM Seir. §. 8.

ET quoniam de Seir incidit ſermo, ſcias ſtudioſe Lector, in ſcripturis ſacris multos legi montes Seir, ſiue Edom, qui videntur denominati ab Eſau. Vnus quidem eſt, qui non diſtinguitur à deſerto maris rubri. Et de eo ſic legimus in lib.

Geneſ. cap. 14. Codorlaomor, rex Elamitarum, & Reges, qui erant cum eo, percuſſerunt Raphaim & Chorreos in montibus Seir, vſq; ad campeſtria Pharan, quæ eſt in ſolitudine. Patet autem, quòd hic mons eo tempore nō eſt dictus Seir ab Eſau. Nondum enim natus erat: vnde per anticipationem creditur eſſe dictum. Alius eſt Mons Seir coniunctus ſolitudini Pharan, iuxta Cadesberne, habens à latere deſertum Sinai & mare mortuum. Hunc multo tempore circuierunt filij Iſraël, egreſsi de Ægypto. Vnde ſic legimus in libro Deuter. cap. 2. Circuimus longo tempore montem Seir, dixitq; Dominus ad me: Sufficit vobis circuire montem iſtum. Alius eſt mons Seir, in quo habitauit Eſau poſtquam receſsit à Iacob. Sic enim legimus in lib. Geneſ. cap. 36: Tulit Eſau vxores ſuas & filios, omnemq; ſubſtantiam ſuam, & abijt in alteram regionem, habitauitq; Eſau in monte Seir. Hic eſt mons Seir, de quo dixit Dominus filijs Iſrael, Deut. c. 2. Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum, filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & vos timebunt. Videte ergò diligenter, ne moueamini contra eos, quia in poſſeſsionem Eſau dedi montem Seir. Alius eſt mons Seir in terra Philiſtijm in confinibus Azoti & Aſcalonis: Hic datus fuit tribui Iuda in diſtributione Terræ ſanctæ, quæ & terra promiſsionis eſt. Sic enim legimus in libro Ioſuæ cap. 15. Ackaron cum vicis & villulis ſuis, ſc. datus eſt tribui Iuda. Azotus cum vicis & villulis ſuis, Gaza cum villulis & vicis ſuis vſq; ad torrentem Ægypti, & mare magnum, termini eius, & in monte Seir qui & Sanir dicitur. Hæc ibi. Quare autem ſic dictus ſit, non memoror me legiſſe. Hoc vnum eſt, quòd habitatores montis illius Idumęi appellati ſunt, ſicut & alij poſteri ab Edom Idumæi dicebantur. Vnde Antipater, & filius eius Herodes Aſcalonita, Idumæi dicti ſunt. Alius eſt mons Seir iuxta mare Galilææ, & montem Galaad, in quo Eſau habitabat eo tēpore, quo Iacob ex Meſopotamia Syriæ regreſſus eſt. Et hic propriè eſt ille, de quo in hac quarta deſcriptione ſermonem fecimus: eſt enim in principalioribus terræ ſanctæ. Terminatur autem mons iſte Seir, in ſorte tribus Gad in monte Galaad, contra locum vbi non longè à montibus Gelboë iuxta ciuitatem Bethſan Iordanis fluuius mare Galilææ ingreditur. Et deinceps littus Iordanis orientale eſt duarum tribuum & dimidiæ vſq;

ad cam-

ad campeſtria Moab ſub monte Abarim in Sethim contra Iericho. Vltrà verò per idem Iordanis littus procedendo, eſt terra Moab vſq; ad Petram deſerti, quæ nunc Charach. Vltra terram Moab eſt pars terræ Ammon tanto ſpacio, quanto extenditur mortuum mare. Sicq; littus eius auſtrale circuit vſq; ad montem illum Seir, qui copulatur deſerto Pharon, iuxta Cadesberne, habens à latere deſertum Sinai & mare mortuum. *Moabitis.*

DESCRIPTIO TERRAE SANCTÆ CONTRA Eurum.

CAPVT SEXTVM.

QVinta Deeſcriptio, ſumens initium ab Achon, tendit contra Eurum directè.

D. CANÆ GALILÆÆ. §. 1.

AB Achon 5. leucis diſtat Cana Galilææ tendendo verſus Eurum, in qua Reparator noſter aquam in vinum vertit, vt legimus Iohannis cap. 2. Vſq; ad dies noſtros triclinium & locus in quo diſpoſitæ fuerant ſex hydriæ, oſtenduntur. Scias autem, chare Lector, quòd loca hæc & alia, in quibus Dominus Ieſus quid miraculoſi operatus eſt, nunc terra cooperta ſunt, ita quod ſubterranea dici poſſunt: cuius rei cauſam aliam ſuſpicari nequeo, niſi quòd frequentes Eccleſiarum deſtructiones, in quibus loca huiuſmodi continebantur, ruina ſunt ſuper terram eleuatæ. Super eleuationem autem ædificia alia conſtructa ſunt, ſicq; loca prima veneranda ſub ruinis abſcondita, & abſtruſa remanſerunt. Deuoti verò Chriſti fideles, affectantes viſitare loca ſancta, & omninò decernentes ad loca vera, in quibus res geſtę ſunt, peruenire, ſtatuerunt effodere, & gradus ſubterraneos conſtruxerunt, vt ſic prima loca adire poſſent, propterea ferè omnia hæc loca in cryptis videntur diſpoſita. Cana Galilęæ ab Aquilone montem habet altum, & ad rotunditatē ſe vertentem, & eſt in decliui eius latere ſita. Sub ſe contra Auſtrum habet planiciem ſpecioſam nimis, quam Ioſephus Carmelon appellat vſque Sephoron fertilem & amœnam valdè. *Ruinæ ſacrorum locorum.*

EX Cana Galileæ tendens verſus meridiem quatuor leucis, deprehendi villam nomine Ruinam in via, quæ eſt tranſitus à Sephoron in Tiberiade. In ruina credunt incolæ Ionam Prophetam ſepultum quieſcere. Hoc tamen non conſtat ex libro Ionæ, nec alio ſcripturæ loco. Villa hæc ſita eſt ſub monte, qui Nazareth proueniens prædictam planitiem Carmelo includit à parte Auſtrali.

Monumentum Ionæ uatis.

D. ABELMEVLÆ, VEL BELMÆ §. 3.

EX Ruina ſpacio leucę & dimidiæ tendimus Abelmeulam, ſiue Belmam, villam quidem antiquitus populoſam. Adhuc enim extant marmoreæ columnæ & deſtructiones magnæ, quæ ſignant eam fuiſſe glorioſam, & erat in ſitu alto tutoq; conſtructa. Hæc eſt Belma locus quidem, per quem Holofernes cum exercitu Bethuliam aggreſſus eſt. Sic enim legimus in libro Iudith cap. 7. Omnes parauerunt ſe ad pugnam, & venerunt per crepidinem montis ad apicem, qui reſpicit Dothaim, à loco qui dicitur Belma vſq; Chelmon. Hæc ibi. Et ſic quidem eos aſcendere neceſſe fuit ob locorum difficilem acceſſum: nec alia via illic eſſe poterat. In Abelmeula natus eſt & adultus Heliſæus Propheta. Sicn. legimus 3. Reg. cap. 19. Heliſæum autem, filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges Prophetam pro te. Conſtructa eſt in regione, dicta Dothaim, diſtans leuca dimidia à villa Dothaim contra orientem.

Heliſæus.

D. MONTIS BETHVLIÆ. §. 4.

VLtra Belmam leuca vna, mons eſt Bethulia, vbi celebratiſsima Iudith ſuperbum Holophernum truncauit. Mons ille ſpecioſus valde & tutus per totam ferè Galilæam videtur. Extant adhuc in eo ædificia multa, & deſtructiones multæ. In ipſo montis calce caſtrum pro montis defenſione conſtructum eſt. In campo iuxta Dothaim adhuc videntur caſtrorum Holophernes indicia. Vidi, exacteq; conſideraui vallem, in qua ſe

Iuditha heroina.

lauit Iudith,& quam circuiuit redeundo Bethuliam cum capite Holophernis: nam in Dothain vna die naturali moras protráxi. Hæc autem notiſsima ſunt in libro Iudith, cap.7.

D. TIBERIADIS. §. 5.

A Bethulia tribus Leucis, inter Orientem & Auſtrum, diſtat Tiberias vrbs, quæ vulgatiſsima in ſacris Euangelijs, ſupra littus mare Galilææ, Tiberiadis mare dictum, aliquotiens inuenitur. Hæc apud veteres Cenereth dicebatur, & ab ea mare Galilææ mare Cenereth, vel Ceneroth, dictum legimus. Vnde in lib. Ioſuæ cap.12. ſic ſcribitur: Seon, rex Amorrhæorum, dominatus eſt vſq; ad mare Ceneroth ad Orientem. Verùm quia ab Herode, * Galilææ Tetrarcha, inſtaurata eſt, in honorem Tiberij Cæſaris Tiberias nuncupata eſt. Eſt autem longa valdè, iuxta maris littus per longū diſpoſita. Suntq; in eius auſtrali termino balnea ſalubria, & deſtructiones multæ ac magnæ, palmæ copioſiſsimæ ibi creſcunt. Terra pinguis valdè vineis, oliuetis & ficulneis refertiſsima.

* *Antipa.*

D. DECAPOLIS REGIONIS. §. 6.

Scias, chariſsime Lector, ad vrbem Tiberiadem terminari regionem, dictam Decapolin. Nam Dominus Iacobus de Vitriaco, Ieroſolymitanus Patriarcha, & Romanæ ſedis Legatus, in lib. quem de conqueſto Terræ ſanctæ edidit, ſic dicit: Regiones Decapoleos fines, ſiue extremitates, ſunt mare Galilææ ab Oriente, & Sidon magna, & hæc eſt latitudo eius, in longitudine verò protenditur à Tiberiade & toto littore aquilonari maris Galileæ vſq; Damaſcum. Dicta eſt autem Decapolis quaſi decem vrbium regio, quæ vt principaliores in ea continentur. Sunt autem: Tiberias, Sephet, Cedes, Neptalim, Aſor, Cæſarea Philippi, Capharnaum, Bethſaida, Corozaim & Bethſan, quæ & Scythopolis dicta eſt. Sunt & in ea plures aliẹ, ſed hæ celebriores ſunt. Iterum ſcias, regionem Decapolin quàm variè in ſcripturis denominari. Dicitur enim aliquando Ithuræa, aliquando Trachonitis, nunc planicies Libani, nunc terra Moab, nunc

Synonymia Decapoleos.

Chabul, nunc Galilæa gentium, nunc Galilæa ſuperior. Eſt tamen ſemper eadem regio, etſi diuerſimodè denominetur. Longitudo eius cenſetur vnius dietæ & dimidiæ, latitudo iudicio meo non excedit longitudinem niſi fortè inſenſibiliter. Poſt territorium autem Sidonienſe & montes medios inter nos & Saracenos, qui Barchitæ dicuntur, & Paſſum canis, Idumæi inhabitant, vſq; Berthum, prope Ithuream regionem, in valle dicta Vachar. Et quoniam ad radices Libani in longum extenditur, ſaltus Libani appellatur.

Barchitæ Sarraceni.

D. SEPHRON. OPPIDI. §. 7.

A Tiberiade reuertendo contra occidentem ad ſex leucas, & ex Cana Galilææ ad tres leucas, contra Auſtrum eſt Sephron oppidum, caſtrumq; deſuper, pulchrum valdè, vbi Ioachim, beatiſsimæ virginis pater, creditur eſſe natus. Situm eſt in tribu Aſer iuxta vallem Carmelon.

Ioachim, Pater Mariæ,

D. BENEDICTÆ NAZARETH. §. 8.

A Sephron duabus leucis ferè contra Auſtrum, paululum tamen declinando ad orientem, eſt benedicta Nazareth, ciuitas Galilææ, in qua virgo de radice Ieſſæ, peracta ſalutatione Angelica, vt legimus Lucæ cap. 1. ex Spiritu ſancto concepit mundi Redemptorem, Ieſum Chriſtum, Dei maximi filium. Diſtat ab Achon 7. leucis. Etiam diebus noſtris permanet locus, in quo Gabriel Angelus beatiſsimę virgini detulit cœleſte nuncium ſalutis dicens: Aue gratia plena. Pluries in loco illo deuotiſsimo celebraui in ipſo annunciationis die, quando diuinum verbum, caro factum eſt: Sit nomen Domini benedictum in æternum & vltra. Tria altaria ſunt in capella, quæ quidem exciſa eſt in lapide de rupe, ſicut & natiuitatis locus & reſurrectionis & ſepulturæ. Nam vt Nazareth antiquitus pro maiori parte exciſa erat de rupe, quod adhuc apparet. Eſt & in ea adhuc Synagoga illa, in qua Ieſu docenti datus eſt liber Eſaiæ, quando legit teſte Luca cap. 4. Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxerit me. Eſt inſuper in fine ciuitatis in Eccleſia, ſub titulo

ſanct

ſancti Gabrielis, fons, quidam ab incolis ſummè veneratus, ex quo, vt fertur, puer Ieſus hauriebat aquam miniſtrans dilectæ matri ſuæ. Extra Nazareth, contra Auſtrum, quantum iacere poteſt arcus quater, eſt locus dictus ſaltus Dauid, vbi peſsimi Iudæi præcipitare tentauerunt Ieſum benedictum, vt legimus Lucæ cap. 4. ſed exiens de manibus eorum, ſtatim inuentus eſt in latere montis oppoſiti ad iactum arcus, & oculo videntur clariſsimè corporis ſui lineamenta, ac veſtigia lapidi impreſſa. Ex monte hoc, videtur mons Thabor & Hermon minor, & villa Endor & Naim, & ferè tota latitudo magni campi Eſdrelon.

D. MONTIS THABOR. §. 9.

A Nazareth duabus leucis contra Orientem eſt Mons Thabor, in quo, vt legimus Matth. cap. 17. transfiguratus eſt Dominus. Etiam hodie apparent trium tabernaculorum ruinæ, quæ Diuus Apoſtolus Petrus, neſciens quid diceret pro dulcedine & abundantia Spiritus, petebat fieri. Sunt inſuper nobilium ædificiorum, fortiſsimarumq; turrium & regalium habitationum, deſtructiones, in quibus nunc latitant leones, vrſi, aliæq; diuerſi generis feræ, & circa huiuſmodi regiæ ſunt venationes. Mons Thabor ſublimis eſt valdè, ac difficilis aſcenſu, aptiſſimus tamen pro conſtruendo caſtro. In baſi ipſius montis auſtrali contra viā Endor, in eo itinere, quo eſt tranſitus ex Syria in Ægyptum, locus eſt, vbi fama veluti dicitur, ſacerdotem Domini altiſsimi, Melchiſedech, occurriſſe Abrahæ, reuertenti à cæde quatuor Regum, vt legimus in lib. Geneſ. cap. 14. In baſi eiuſdem montis occidentali contra Nazareth conſtructa eſt capella in eo loco, vbi Saluator deſcendens, diſcipulos monuit, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à morte reſurgat, vt legimus Matthæi cap. 17. In pede eiuſdem orientali decurrit torrens Ciſon, in quo Barach pugnā commiſit contra Siſaram, ac debellatus eſt, vt legimus Iudicum, cap. 4. Eſt autem collectus torrens ille, ex aquis pluuialibus, defluentibus à monte Thabor, & Hermon & Hermonio. Decurrit contra mare Galilææ, ingrediturq; illud iuxta caſtrum Belucer, quod iam fuit ſub ditione Hoſpitalis ſancti Ioannis.

Melchiſedech.

D. EN-

Hermonium. MOns Thabor vna leuca contra Eurũ diſtat à villa Endor, in monte Hermonio ſita. Non eſt autem mons per ſe, ſed veluti tumor quidam, procedens à monte Hermon ad montem Thabor. Vnde imaginandum eſt, inter montem Hermon & Thabor non eſſe vallem mediam, ſed quendam tumorem, depreſsiorem quidem, qui tumor dicitur Hermonium, quaſi paruus Hermon. Et hoc inſinuat Pſalmus 42. cùm dixit Dauid: Propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonij à monte modico. In Hermonio igitur villa Endor ſita eſt, de qua legimus in Pſalmo: Diſperierunt in Endor. In Endor habitauit mulier, Pythonem habens, quam conſuluit Saul, vt legimus in libro 1. Regum cap. 28. ad cuius iuſsionem Samuelem ſuſcitauit, qui ſepultus fuerat in Ramotha Sophim, duabus dietis diſtante ab Endor.

D. NAIN. §. 11.

A Nazareth duabus leucis, à monte Thabor, plus vna leuca, contra Auſtrum eſt Mons Hermon minor, in cuius latere Aquilonari eſt vrbs Naim, ante cuius ingreſſum Ieſus viduę filium à mortuis reuocauit, vt legimus Lucæ 7. cap. Extenditur hic mons ferè quatuor leucis contra mare Galilææ, & terminatur non longè ab eo loco, vbi Iordanis ex mari Galilææ egreditur.

DESCRIPTIO TERRAE SANCTÆ CONTRA Notum.

CAPVT SEPTIMVM.

SExta deſcriptio, ſumens initium ab Achon, tendit directè contra Notum.

D. TORRENTIS CISON. §. 1.

Poſt

POſt Achon quatuor leucis primò occurrit pars prima Carmeli montis, vbi extat locus, in quo verus Domini Propheta, Helias falſos Baal ſacerdotes in torrente Ciſon interemit, vt legimus in tertio Regum cap: 18. Qui & ibidem modico ſpacio mare magnum ingreditur, vna leuca ab vrbe Caiphas, ſed tribus ab Achon. De torrente Ciſon volo te non latere, chariſsime Lector, quod licet realiter ſit vnus, duplicem tamen habet decurſum. Aliqua enim eius pars decurrit contra Orientem ad mare Galilææ, aliqua verò contra Occidentem petit mare magnum, id eſt, mediterraneum. Et hæc quidem diuerſitas ex eo contingit, quòd mons Thabor & Hermon, cùm non multum diſtent, habent tumorem quendam intermedium, quem diximus ſupra appellari Hermonium, id eſt, minorem vel paruum Hermon, in quo ſituatur villa Endor. Et tumor quidem ille impedit, ne aquæ pluuiales, ex vtroq; monte defluentes, ad plagam vnam deſcendant, ſed pars vna petit Orientem, & recipit ſe in mare Galilææ, & in eam pugna commiſit Barach contra Siſaram, vt dicitur Iudicum cap. 4. altera verò petit occidentem, & ingreditur mare magnum, & in ea Helias Baal ſacerdotes necauit, in qua confluunt aquæ multæ ex Monte Ephraim, & locis propinquis Samariæ, & campo magno Eſdrelon, & monte Caym. *Ciſon.*

D. CAYMOTH. §. 2.

A Loco interfectionis ſacerdotum Baal tribus leucis contra Auſtrum ſituatur Caymoth caſtrum in pede montis extra Veremum Carmeli, vbi Lamech fertur ſagitta Cain interfeciſſe. *Lamech.* Dicitur enim in lib. Geneſ. cap. 4. Occidi virum in vulnus meũ.

D. MAGEDDO. §. 3

A Caymoth ſex leucis contra Auſtrum eſt Mageddo, dictum hodie Suburbe, vbi defunctus eſt Ochozias, rex Iuda, vulneratus à militibus Iehu, vt legimus in 4. Regum cap. 9. iuxta Iezrael in aſcenſu Gaber, quando Ioram, regem Iſrael, idem Iehu ſagitta interemit, cuius corpus proijci iuſsit in agro Naboth Iezraëlitæ

zraëlitæ. In eodem Mageddo peremptus eſt Ioſias, rex Iuda, à Pharaone, rege Ægypti cum proficiſceretur à flumine Euphrate. Et ſcias, ſtudioſe Lector, campum Mageddo, & Esdrelon, & planiciem Galilææ, & Mageddam idem eſſe, licet diuerſimodè denominatum. Eſt autem in rei veritate campus Galilææ qui cingitur mari Galilææ & Iordane, ab Auſtro autem monte Ephraim & Samaria, ab occidente partim monte Ephraim, & monte Carmelo, ab Aquilone montibus Phœniciæ & Libano, In longitudine eſt ferè 10. leucarum, in latitudine 6. & amplius. In partibus Aquilonis fertilis eſt ſupra modum, exuberans frumento, vino, oleo, omnibusq; mundi bonis, adeò quod regionem meliorem credo me non vidiſſe, ſi exigentibus demeritis noſtris non detineretur in manu prophanorum infidelium.

Vbertas Soli.

D. MESRÆ ET FABÆ CASTRI §. 4.

A Monte Caym contra Orientem duabus leucis occurrit Meſra, caſale, in torrente Ciſon, per leucam vnam à pede montis Hermon. Ex Meſra contra Auſtrum leuca vna, eſt caſtrum denominatum Faba, in cuius latere occidentali extra viam, qua eſt tranſitus in Iezrael, ad dextrum demonſtrantur ruinæ ciuitatis Aphec, quantum arcus ter iacere poteſt. Vbi Syri pugnantes contra Achab, regem Iſrael, & deuicti, dixerunt, vt legimus 3. Regum cap. 20. Dij montium ſunt Dij eorum, pugnemus cum eis in vallibus.

Aphec.

D. SVNÆ §. 5.

EX Aphec leuca vna contra Orientem ad ſiniſtram, extra viam Iezrael in latere auſtrali montis Hermon, eſt Suna vrbs, quam frequentare ſolitus erat Heliſæus, proficiſcens ex Carmelo in Galgalara. Et ſiquidem planior via tendenti in Iericho, vbi cum Prophetarum filijs morabatur, procedens de Carmelo per Sunam in Bethſameth, inde per campeſtria Iordanis vſq; in Galgala. Vnde & in 4. libro Regum legimus, quod cum diſponeret petere fluuium Iordanem, neceſſe illi erat per Sunam agere tranſitum, & propterea eam frequentabat. Ex Suna fuit Sunamitis

Heliſæus vates.

mitis illa, cuius filium Heliſæus ſuſcitauit, in cuius domo tranſiens hoſpitabatur, vt legimus in 4. lib. Regum cap. 4. Ex eadem fuit Abiſag Sunamitis, quæ Dauid ſeneſcenti miniſtrabat, vt legimus in tertio Regum cap. 1. Ibidem caſtra metati ſunt Philiſtijm & Saul venit in Galgala. *Abiſag.*

D. BETHSAN §. 6.

Ex Suna 11. leucis contra Orientem ferè, parum tamen declinando ad Auſtrum, eſt Bethſan vrbs, inter montem Gelboë & Iordanem ſita, diſtans tamen à Iordane media leuca. In cuius muro, vt legimus in 1. Regum cap. 31. Philiſtym ſuſpenderunt corpora Saulis & Ionathæ, quæ in prælio corruerunt in monte Gelboë. Dicta eſt aliquando Scythopolis, vt ſcribit Ioſephus, nunc autẽ ab omnibus Bethaſan nuncupatur. Eſt enim locus delicioſus valdè. Super Bethaſan eſt mons Gelboë, extendens ſe contra Occidentem per 11. leucas vſq; Iezrael, vbi eſt fons patentiſsimus, dictus fons Iezrael, vbi & Philiſtym diſpoſuerunt caſtra, cum eſſent Saul & exercitus eius in monte Gelboë inter Bethſan & ipſum fontem. *Gelboë.*

D. IEZRAEL §. 7.

A Fonte præfato ad iactum arcus in loco aliquantiſper eleuato ſituata fuit Iezrael, vna vrbium regalium in regno Iſrael, nunc autem vix 20. domunculas habet, diciturq; Charety, & eſt in baſi montis Gelboë ad occidentem, ante cuius ingreſſum ad huc ager oſtenditur Naboth Iezraëlitæ, quæ innocentem lapidibus obrui iuſsit maledicta Iezabel, vt legimus 4. Regum cap. 9. Iezrael pulcherrimi eſt proſpectus per totam Galilæam vſq; ad Carmelum, & montes Phœniciæ, montemq; Thabor & Galaad vltra Iordanem, & totum montem Ephraim. Item à monte Galaad verſus Iezrael, in latere ſeptentrionali montis Gelboë eſt via valdè plana à Iordane per Hermon & Salin, vbi erat Ioannes baptiſans, & per hanc profectus eſt Iehu de Ramoth Galaad, cùm ſpeculator dixit: Video ego globum, vt legimus 4. Reg. cap. 10. *Naboth.*

D. DISPOSITIONIS MONTIS Gelboë & Hermon. §. 8.

MOns Gelboë & Hermon ſic diſpoſiti ſunt, vt Gelboë ſit ab Auſtro, & Hermon ab Aquilone. Duarum leucarum ſpatium mediat inter eos. Longitudo eorum 11. leucis protenſa ab Oriente in Occidentem. Vterq; ab Oriente terminatur in Iordane. In planicie intermedia plures & duri conflictus acciderunt. Ibi enim Gedeon debellauit Madian, vt patet in libro Iudicum cap. 7. & Saul congreſſus eſt cum Philiſtijm, & Achab cum Aſſyrijs, modernis etiam diebus Tartari cum Sarracenis. Et aduerte, quòd extat mons alius ſupra regionem Trachonitidem iuxta montem Seir, qui eſt longè maior & excelſior hoc monte Hermon præſcripto, & ille in multis ſcripturæ locis appellatur mons Hermon. Vnde patet, tres eſſe montes Hermon, vnus quidem & maior ſupra regionem Trachonitidem. Secundus vicinus monti Gelboë. Tertius paruus, qui dicitur Hermonium, de quò ſuprà actum eſt, & diximus eſſe tumorem quendam inter montem Thabor & Hermon ſecundum.

Tartari.

Hermon.

D. CONVALLIS ILLVSTRIS. §. 9.

IN planicie media inter Gelboë & Hermon incipit conuallis, dicta illuſtris ex ſui amœnitate & pulchritudine, de qua eſt mentio in libro Geneſis cap. 14. Extenditur autem à planicie hac per totum defluxum Iordanis vſq; ad mare mortuum. Sed & ipſum ante ſubuerſionem Sodomæ & Gomorræ contentum fuerat in conualle illuſtri, quæ aquis irrigabatur veluti paradiſus & Ægyptus.

D. SI IN GELBOE CADIT ROS. §. 10.

CRedunt nonnulli, & prædicant, ſuper Gelboë rorem non deſcendere, eò quòd Dauid miſeratus obitum Saulis & Ionathæ, illic interfectorum, imprecatus eſt eis in his verbis, (vt legimus in 2. Regum cap. 1.) Montes Gelboë, nec ros nec pluuia cadant ſuper vos, vbi ceciderunt fortes Iſraël. Ac certè hoc non eſt verum;

verum: Nam in feſto Diui Epiſcopi Martini montem ipſum aſcendi,& adeò pluit,quod vſq; ad carnem madefactus deſcendi. Inſuper eadem vallis inundauit deſcendentibus aquis. Alio inſuper tempore ſuper ipſum Gelboë dormiens ſub diuo cum alijs multis, rore perfuſi fuimus ſupra modum,& id quidem contigit in omnium ſanctorum feſto,anno ſalutis 1283. Eſt tamen verum, quod eiuſdem quædam partes ſaxoſæ, aridæ ſunt & ſteriles,ſicut & alij Iſraël montes. *Auctoris peregrinatio.*

D. GILIM OPPIDI. §. 11.

AB Iezrael quatuor leucis contra Auſtrum eſt Gilim oppidum, munitum quidem, ſed collapſum, in pede montis Ephraim ſitum, vbi Samaria initium & Galilæa terminum ſumit. Ex Gilim vſq; Iordanem ſeptem circiter leucæ mediant contra Orientem,& parti illi iungitur ab Auſtro regio Naphe, in qua extant montes excelſi valdè.

D. SEBASTÆ QVÆ OLIM Samaria. §. 12.

EX Gilim quinq; leucis contra Auſtrum tendimus Sebaſten, quondam dictam Samariam, caput decem tribuum, & ſedem Regum Iſrael, Quæ cùm glorioſa nimis eſſet,peccatis inhabitantium adeò defecit, vt nec vnam habeat domum, duabus Eccleſijs exceptis,quæ in honorem Diui Baptiſtæ Iohannis conſtructæ fuerunt. Verùm principaliorem,quæ vt Cathedralis ſedes erat, Sarraceni in Mahumeteam commutârunt, in qua turpiſsimum Mahumeth venerantur. In ea eſt eiuſdem Diui Iohannis ſepulchrum,marmore exciſum,ad inſtar ſepulchri Saluatoris noſtri,in quo idem ſanctus inter Heliſæum & Abdiam,Prophetas,conditus fuerat.Eccleſia hæc conſtructa eſt in latere montis in deſcenſu. Sarraceni Diuum Iohannem præcipua deuotione colunt poſt Chriſtum, & beatiſsimam virginem, de ipſo alta ſentientes. Aſſerunt enim & confitentur, Chriſtum verè filium Dei, non tamen Deum, beatiſsimam virginem de Spiritu ſancto concepiſſe,virginem peperiſſe,& virginem permanſiſſe, Iohannem *Monumentum Iohannis Baptiſtæ.*

nem autem dicunt maximum & ſanctiſsimum Prophetarum, Mahometh Dei nuncium, & ad ſeipſos tantùm deſtinatum fuiſſe. Hæc vidi & legi in Alcorano, qui eſt liber falſæ legis, traditæ à maledicto Mahometh. Altera Eccleſia extat in montis ſuper cilio, vbi & regis palatium conſtructum fuerat. Hanc inhabitant Græci Monachi Chriſtiani, qui ſumma humanitate me receperunt, & neceſſaria miniſtrarunt. In Eccleſia ipſa oſtenderunt locum, in quo credunt, & dicunt, Baptiſtam carceri mancipatum, & in eodem ab Herode decollatum, quod quidem vt friuolum reſpuo. Nam Ioſephus, & ſanctorum legendæ, & magiſter in hiſtorijs, & hiſtoria Eccleſiaſtica, communi & concordi aſſenſu ſcribunt, eum in Machærunta, nunc Aylon dicta, quæ vltra Iordanem ſita eſt, & ego vidi, fuiſſe decollatum. Præterea Herodes ille, qui Diuum Iohannem decollauit, Tetrarcha exiſtebat Galilææ, & regionis trans Iordanem, quæ quidem eſt terra Galaad, ſiue duarum tribuum & dimidiæ, quam eis diſtribuerat fortiſsimus Ioſua ante tranſitum Iordanis. Ex conſequenti nullam poteſtatem exercere poterat in Samaria. Subijciebatur enim Pilato procuratori, ſicut Ieruſalem & Iudæa. Ergo Iohannem ibi nec carceri addixit nec vita priuauit, quia nullum ius in Samaria habere potuit. Decollato tamen eo in Machærunta, diſcipuli venerunt, vt legimus Marc. 6. cap tuleruntq; corpus eius, & ſepelierunt in Samaria inter Prophetas prædictos. Caput verò eius eſt Ieroſolymis. Tam grandes ruinas in toto terræ ſanctæ circuitu, quantas in Samaria, non vidi, cùm tamen magnas & multas viderim dignas quidem deploratione. Nec fuit illius diſpoſitionis Samaria, qualem ſibi attribuit magiſter in hiſtorijs ſuper verbum illud in quarto Regum cap. 18. Si ſufficere poterit puluis Samariæ pugillis populi, qui ſequitur me. Videtur enim magiſter ſentire, parietes vrbis, & montis ſuperficiem, fuiſſe æquales, & deſuper ædificia conſtructa. Quod non ſic erat: imò parietes in baſi ipſius montis conſtructi fuerant, turribus fortiſsimis muniti, mons autem interius in altum paulatim conſurgens, ex omni parte ædificijs circumſeptus, ſicut botrus paulatim creſcens in acumine. In montis cacumina regia ſpecioſa nimis erat, vbi & adhuc videntur columnæ plures marmoreæ, quibus deambulatoria palatia ſuffulciebantur. In circuitu montis

Alcoranus.

Samariæ ruinæ.

inferiu

inferius, ſub regia habitatione, ac ſub ædificijs nobilium, in loco, vbi platea communis, ſiue forum rerum venalium reperiuntur marmoreæ columnæ, quæ platearum teſtudines ſuſtentabant. Plateæ ſiquidem ciuitatis iuxta morem Terræ ſanctæ, teſtudinatæ erunt. Vt verbo concludam, neſcio quid magnificentiæ & fortitudinis & decoris Samariæ deficeret, quæ tamen nunc adeò defecit, vt in rei veritate facta ſit hortus olerum, ſicut eius Rex impius Achab de vinea Naboth Iezraelitæ hortum facere voluit, eò quòd proxima eſſet domui regiæ. Et iuſto Dei iudicio non ſolùm vinea Naboth, ſed & Palatium Regium in hortos eſt commutatum. Samariæ ſitus pulcher nimis erat; ab ea enim eſt proſpectus vſq; ad mare Ioppes, & Antipatrida & Cæſaream Palæſtinæ, per totum quoq; montem Ephraim vſq; Ramatha Sophim, & vſq; Carmelum. Regio ipſa exuberat fontibus, hortis, oliuetis, boniſq; omnibus, quibus indiget mundus iſte. *Splendor uetus.*

D. THERSÆ. §. 13.

EX Samaria tribus leucis contra Orientem conſtructa eſt ciuitas Therſa in monte ſublimi, in qua aliquanto tempore regnauerunt reges Iſrael ante conſtructionem Samariæ, fuitq; in ſorte Manaſſæ.

D. THAMPNÆ. §. 14.

EX Thoſa ſex leucis contra Orientem, in viam, qua tenditur ad Iordanem, eſt terra Thampnæ, quæ inter cæteros montes habet vnum valdè ſublimem. Hæc quoq; fuit de tribu Manaſſe, & protenditur vſq; campeſtria Iordanis & vſq; Machærunta.

D. MONTIS BETHEL ET Dan. §. 15.

A Samaria duabus leucis contra Auſtrum iuxta viam, quæ ducit Sichem, diſtat mons altus, dictus Bethel, in quo Ieroboam, filius Nabath (qui peccare fecit Iſrael) ſtatuit vnum ex vitulis aureis, vt ſcribitur in tertio Regum capite 12. *Ieroboami uituli aurei*

Sarrace-

Sarraceni dicunt locum hunc Bothil, neſcientes proferre Bethel. Inde ad mediam leucam ad ſiniſtram eſt mons alius, priore altior, appellatus Dan ſupra vrbem Sichem: In hoc monte Ieroboam dicauit alterum vitulum aureum, vt ſcribitur in tertio Regum cap. 12. Sunt tamen, qui dicunt vitulum illum conſtitutum fuiſſe in ciuitate Dan, quæ nunc Velenas, ſiue Cæſarea Philippi nuncupatur, & id magis placet Diuo Hieronymo. Eligat quis, quod voluerit: mihi ſat eſt, montem hunc appellari Dan.

D. SICHEM. §. 16.

INter montes Bethel & Dan ſita eſt vrbs Sichem, hodie Neapolis dicta, amænitate nimia & delicijs abundans, tamen immunita, nec muniri poteſt, nihilq; aliud ſupereſt, niſi quod accedentibus inimicis ad portam, habitatores fugiant per alteram, ſi pauciores & impotentiores fuerint. Sichem ædificata fuit à Ieroboam, fuitq; prima ſedes regni ſui, poſtquam conſtitutus fuit Rex ſuper decem tribus. Sic enim legimus in tertio Regum cap. 12. Ædificauit autem Ieroboam Sichem, & habitauit ibi.

Regia.

D. FONTIS IACOB, ET MONTIVM Garizim & Hebal. §. 17.

A Porta Sichem auſtrali quantum bis iacere poſſet arcus, eſt fons Iacob, ſuper quem fatigatus ex itinere, vt legimus Iohannis cap: 4. ſedit Ieſus, petiuitq; aquam à Samaritana. Fons ipſe effoſſus eſt in via, qua tendimus in ſanctam Ieruſalem. Supra fontem ad dextram mons eſt excelſus, duo habens capita, quorum vnum mons Garizim, alterum mons Hebal nuncupatur. Ibi Ioſua ædificato altari, audienti populo, recitauit totum Deuteronomium Moyſi. Sic enim legimus in libro Ioſuæ cap. 8. Media pars populi ſtabat iuxta montem Garizim, & media iuxta montem Hebal, & cuncta quæ ſcripta fuerant in legis volumine, replicauit Ioſua coram omni multitudine Iſrael.

D. FANI

SVper montem Garizim adhuc oſtenditur vetuſtiſsimi Fani locus, quod quidem ſub titulo Iouis Olympij Hoſpitalis conſtructum fuerat ad inſtar templi in Ieruſalem à Saneballat Duce regionis trans Iordanem, vt deferret genero ſuo, Manaſsi qui cùm eſſet de ſtirpe Leui, voluit ſummum Pontificatum & ſacerdotij officium exercere. Templum hoc vſq; ad deſtructionem per Romanos ſeruatum fuit. ¶ Montem Garizim & templum illud creditur voluiſſe ſignare Samaritana, cùm dixit Saluatori: Patres noſtri in monte hoc adorauerunt. Iohan. cap. 4.

Aliter Ioſephus Antiq. lib. 13. cap. 17.

D. ANTIQVÆ SICHEM. §. 19.

AD ſiniſtram fontis Iacob oppidum eſt magnum quidem, ſed deſertum & dirutum, quod creditur fuiſſe illa Sichem antiqua, de qua legimus in lib. Gen. cap. 37. quod Iacob habitauit in Sichem, vbi & filij ſui paſcebant greges, quando miſſus eſt ad eos Ioſeph. Illic adhuc ſunt durata ædificia marmorea, mirandæq; columnæ, ex quibus arguimus, quàm glorioſa fuerit. Locus quidem amœniſsimus eſt & fœcundus valdè, niſi quòd aquis fluuialibus caret. Ideò neceſſe fuit Iacob effodere magnum puteum, vt ſufficeret habitantibus & pecoribus. Indigenæ mihi dixerunt, locum illum nunc Iſtar ab eis appellari. Diſtat autem ab Iſtar ea, quam diximus nuncupari Neapolis, iactu duorum arcuum, & in hac Neapoli æſtimo fuiſſe oppidum Thebes.

D. PRÆDII IOSEPH. §. 20.

FOnti Iacob adiacet prædium, quod dedit Iacob filio ſuo Ioſeph extra fratres ſuos, de quo ſic legimus in libro Geneſis cap. 48. Dixit Iacob filio ſuo Ioſeph, do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Prædium illud vallis eſt longa, ádmodum fertilis & amœna, & neſcio vallem æquè grandém in delicijs illi ſimilem. In Sichem ſepulta ſunt oſſa Ioſeph, adducta de Ægypto. Sic enim adiura-

Ioſephi Patriarchæ monumentum.

iurauerat fratres ſuos, vt ſcribitur Geneſis cap. vlt. Quod autem in Sichem recondita fuerint, teſtatur liber Ioſuæ cap. 24.

D. LEBNÆ. §. 21.

EX Sichem 4. leucis iuxta viam tendendo Ieruſalem ſanctam ad dextram eſt Lebna, caſale quidem pulchrum valdè. Dico autem caſale, quoniam alia eſt vrbs Lebna in tribu Iuda, quam expugnauit Ioſua. Sic enim legimus in lib. Ioſua cap. 10. Tranſiuit Ioſua cum omni Iſrael de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam, quam tradidit Dominus cum Rege ſuo in manus ſuas, percuſſeruntq; vrbem in ore gladij.

D. MAGNAS OPPIDI. §. 22.

EX Lebna 5. leucis contra Auſtrum eſt oppidum Magnas, nunc autem nuncupatum Bira, fuitq; his diebus ſub ditione militiæ templi. Iuxta latus eius auſtrale locatæ ſunt metæ inter tribum Ephraim & Beniamin.

D. GABAÆ SAVLIS. §. 23.

EX Magnas vna leuca contra Auſtrum eſt Gabaa Saulis, in qua, vt legimus in lib. Iudicum cap. 20. oppreſſa eſt vxor illius Leuitæ proficiſcentis ex Bethlehem, propter cuius vltionem ferè tota tribus Beniamin deleta eſt, vt patet in libro Iudic. cap. 21. In Gabaa ortus eſt Saul, primus Rex in Iſrael.

D. RAMÆ. §. 24.

EX Gaba a ſpacio vnius leucæ contra Auſtrum eſt Rama, in monte condita ad ſiniſtram eunti Ieruſalem, non longè extra viam. De hac creditur dictum fuiſſe illud Ieremiæ cap. 31. Vox in Rama audita eſt. Nolo enim te ignorare, ſtudioſè Lector, in terra ſancta plures fuiſſe Rama. Prima iuxta Theu-

Rama ὁμωνυμία.

cuam

cuam via,quam tendimus in Hebron.2.in tribu Neptalim, proxima caſtro Sephet. 3. iuxta Sephron. 4.eſt in Silo. 5. eſt iuxta Gabaa. Et de hac nunc eſt ſermo. Omnes quidem in hoc conueniunt,quòd in collibus altis conſtructæ exiſtunt. Ex hac Rama, vltimo dicta, tribus leucis contra Auſtrum, eſt vrbs ſancta Ieruſalem, quam & præſens prætereo. Vtile eſt enim redire per Sichem,& primo vrbs illas colligere de angulo montis Ephraim, ac reſumere quæ dimiſi.

D. EMON ET * PHASELLI. §. 25.

* Forſan Phaſaëlum dicit de qua Ioſephus Ant. lib. 16. cap. 9.

POſt Sichem contra Orientem proceſſu ad Iordanem quatuor leucis eſt Emon, oppidum grande, amœno loco conſtructum,omnibus mundi bonis abundans,fuitq; de ſorte Ephraim. Tribus leucis à Iordane eſt Phaſellum caſale in campeſtribus,vbi torrens Carith decurrit ex monte. In Carith præcepto Domini Helias paſcebatur à coruis. Sic enim legimus in 3. Regum cap. 17. Sedit Helias in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, corui quoq; deferebant ei panem & carnes mane & veſpere.

D. CASTRI DOCH. §. 26.

POſt Phaſellum ad ſiniſtram vna leuca verſus terram Tepnæ eſt caſtrum Doch, vbi Ptolomæus doloſè detinuit & interemit Simonem Machabæum. Ex hoc loco plenè videtur terra Galaad & duarum tribuum & dimidiæ terra. Eſebon,montes Moab, mons Abarim & Phaga & Nebo,& deſcenditur in campeſtria Iordanis,ſuntq. deinceps loca plana vſq; Iericho & vltra per totum decurſum Iordanis, vſq; ad mare Salinarum. Montes etiam Abarim,& Phagor,& Phalga,& Nebo ſunt directè contra locum hunc vltra Iordanem. Scias inſuper,quod ab ortu Iordanis ſub Libano,vſq; ad ſolitudinem Pharan,ferè per centum milliaria, ipſe Iordanis in vtroq; littore campos habet latos & amænos,qui retrò circumdantur altiſsimis montibus.

POſt Doch ferè contra Auſtrum, paulùlum tamen cum declinatione ad Occidentem, 5. leucis eſt locus Galgala, in quo, vt legimus in libro Ioſuæ cap. 5. filij Iſrael circumciſi ſunt præcepto Ioſuæ, & poſtquam omnes circumciſi fuerunt, caſtrametati ſunt illic multis diebus tranſito Iordane, & propterea vocatum eſt nomen loci illius Galgala vſq; in præſentem diem.

D. QVARANTANÆ * §. 28.

** Meminit Arnoldus Lub. lib. 2. cap. 7.*

EX Galgala ad dimidiam leucam tendendo in Iericho ad dextram iuxta viam eſt mons, dictus Quarantana, vbi mundi Saluator quadraginta diebus & noctibus cibum nullum ſumpſit. Altus eſt nimis, & aſcenſu difficilis. Tentatus autem fuit in alio monte, qui duabus leucis diſtat à Quarantana, ſuprà in deſerto, à latere auſtrali, Bethel & Hai.

D. FONTIS HELISÆI. §. 29.

SVb Quarantana ferè iactu duorum arcuum oritur fons Heliſæi, cuius aquas, cùm eſſent amaræ & ſteriles, dulcorauit Heliſæus immiſſione ſalis. Sic enim legimus in lib. 4. Regum cap. 2. Egreſſus Heliſæus ad fontem aquarum, miſit in eis Sal, & ait: Hęc dicit Dominus, ſanauit aquas has, & non erit vltra in eis mors neq; ſterilitas. Fons ille decurrit iuxta Galgalam à parte auſtrali, impellitq; molendinam, deinde in riuos diuiſus, irrigat canamellas & hortos, demum in Iordanem ſe recipit. Iuxta Galgalam contra Auſtrum ad dimidiam leucam eſt vallis Achor, in qua iubente Ioſua, idem Achor lapidibus obrutus eſt pro expiando furto anathematis, vt legimus Ioſuæ cap. 13.

Vallis Achor.

D. IÉRICHO. §. 30.

A Galgala contra Orientem leuca vna diſtat Iericho, vrbs quidem quondam ſublimis, nunc autem vix 9. domos habet, ne; meretur dici parua villa, omniaq. monumenta ſancto-

rum locorum penitus deleta ſunt. Ex Iericho duabus leucis extat capella, diuo Baptiſtæ dicata, vbi creditur Saluator fuiſſe baptizatus. Opinantur tamen quidam iuxta Balim id actum fuiſſe, ſed Eccleſiæ ſolennitas contradicit. Geſta in Iericho ſatis nota: ideò ea non deſcribo.

D. BETHAGLÆ. §. 31.

EX Iericho duabus leucis iuxta mare mortuum eſt Bethagla, vbi Ioſeph & fratres, deducentes ex Ægypto corpus patris Iacob, planxerunt ſeptem diebus, vt legimus Geneſis cap. 50. propterea vocatus eſt locus ille Bethagla, .i. domus planctus. Diſtat autem leuca vna à Iordane, & ibi inhabitant Monachi Græci.

D. MARIS MORTVI SIVE LACVS Aſphalti. §. 32.

A Iericho tribus leucis, ſimiliter à Iordane & capella Diui Baptiſtæ, diſtat mare mortuum, quod & locus Aſphalti, id eſt, bituminis, vel mare ſalis nuncupari ſolet. Diuidit quidem Arabiam & Iudæam, eſtq; in littore eius Orientali terra Moab & Ammon, & mons Seir, de quibus actum eſt ſuprà, extenditurq; vſque Cadesbarne, & deſertum Pharan. Oſtenditur circa medium eius in Orientali littore caſtrum Monichal, quod antiquitus Petra deſerti, nunc autem Charach dicitur, munitum valdè. Balduinus enim, Rex Ieruſalem, ædificauerat pro Ieruſalem regno dilatando. At nunc Soldanus detinet, & in eo reponit theſaurum Ægypti pariter & Arabiæ, quem exigit à ſibi ſubiectis.

D. ARIOPOLIS. §. 33.

EX Charach tribus dietis contra Vulturnum eſt Ariopolis, dicta nunc Petra, metropolis totius ſecundæ Arabiæ, de qua actum eſt ſupra. Olim tamen Ar nuncupata fuit, eratq; in torrente Arnon condita, in confinijs Moabitarum & Amorrhæorum. In eodem littore eſt locus, ex quo Balaam populo Dei maledixit.

POſt Iericho contra Auſtrum eſt Segor oppidum. In eo Saluatus eſt Loth, quando Dominus Sodomam ſubuertit. Sic enim legimus Gen. cap. 19. Feſtina, & ſaluare ibi, idcircò appellatũ eſt nomen illius loci Segor. Situm eſt autem ſub monte Engad, inter quod & mare mortuum eſt ſtatua ſalis, in quã conuerſa eſt vxor Loth, vt patet Geneſ. cap. 19. Quam vt viderem, ingentes ſubij itinerum labores, ſed nec deſiderium meum complere datum eſt. Retulerunt ſiquidem mihi incolæ, locum eſſe inadceſſibilem, vel ſaltem non ſine periculo mortis, propter feras immanes & ſerpentes, præcipuè verò propter Beduinos, qui loca illa inhabitant inhumani, & peſsimorum morum.

Metamorphoſis uxoris Lothi.

Beduini.

D. SPATII ET MIRANDARVM CONditionum maris mortui. §. 35.

MAre mortuum habet in latitudine ab Oriente ad Occidentem leucas 30. In longitudine autem ab Aquilone ad Auſtrum aſſertione Sarracenorum, à quibus diligenter percunctatus ſum, habet quinq; dietas. Ioſephus * autem ſcribit, ipſum continere in longitudine ſtadia 580. quod magis verum reputo. Creditur à nonnullis, ipſum continuari cum mari rubro, propter aquas illas, quæ in libro Exodi aquæ Marath nuncupantur, quod vt mihi ſuadere conatus eſt Ieroſolymitanus Patriarcha Græcus, terræ illius ſedulus inueſtigator. Verùm an ſic ſe habeat, incertum relinquo: neq; enim perſonaliter vſq; illuc procedere valui. Mare mortuum ſemper eſt fumans, & tenebroſum, ſicut os inferni. Oculis meis vidi ſimul cum alijs pluribus ſocijs teterrimum & malum vaporem, ex mare mortuo fumantem. Vallis illa, quæ in Gen. cap. 14. illuſtris dicta eſt, & verè ſic erat, à termino huius maris apud deſertum Pharan vſq; ſupra Iericho media dieta, ferè ſterilis & inutilis reddita eſt, ita vt nec germen producat aliquod in ſui latitudine, quæ aliquando eſt quinq; aliquando ſex leucarum, prꝛterquã iuxta Iericho, vbi Canamellæ, & horti, & viridaria irrigantur fonte Heliſæi. Et hoc quidem, prouenit

** Lib. 5. de bello Iudai. cap. 5.*

Halitus peſtilens.

prouenit ex certo Dei iudicio,qui tot annorum ſeculis peccatum vlſciſcitur Sodomorum,vt etiam regio ipſa pœnas luere videatur. A dextris inſuper & à ſiniſtris montes ſteriles ſunt, & aridi, vel barbaræ habitationis,per multa & longa terrarum ſtadia ,ad quæ impellente vento vapor ille pertingere contingit. Dicunt nonnulli, Iordanem aquas ſuas in hoc tremendo & fætido mari non permiſcere,ſed priuſquam mare ipſum attingat,ſub terram ſe recipere. Attamen Sarraceni aſſeruerunt mihi, ipſum quidem ingredi mare,ſed & exire, ac interpoſito modico interuallo,ab egreſſu ſub terra absorberi. Excreſcit mare mortuum aliquando reſolutione niuium ex Libano alijſq; montibus, aliquando inundatione Iordanis & torrentis Iaboc & Arnon & Zareth,aliquando pluuijs,defluentibus in Galilæa,in monte Galaad,in terra Ammon.in terra Moab, ex Seir,ex quibus omnibus pluuiales aquæ in Iordanem deſcendunt,& demum mare mortuum ingrediuntur. Inuenitur in mari mortuo bitumen collectum,ex eius fundo aſcendens,quod vento agitante congregatur ad inuicem, appulſumque littoribus extrahitur. Eſt medicinale virtuoſum , & valdè durum, nec ſoluitur niſi menſtruo ſanguine,diciturque gluten Iudaicum. Vnde mare ipſum Lacus aſpalti appellatur. Dicitur in Geneſi cap. decimo quarto, quod vallis illuſtris,quæ nunc eſt mare Salis,puteos multos bituminis habebat, & hodie etiam plures ſunt in littore maris diſpoſiti,quos vidi ego,eſtq; iuxta quemlibet Pyramis erecta. Et hæc de mare mortuo dicta ſint.

Gluten Iudaicum.

D. HAI. §. 36.

SVpra Galgalam in montanis contra Occidentem tribus leucis in parte Occidentali Quarantanę,vrbs eſt Hai,quam Ioſua, vt legimus in eiuſdem lib. cap. 8. poſtquam expugnauit,ſuccendit igni,interfecto eius Rege,cunctiſq; habitatoribus,& fecit eam tumulum æternum.

D. BETHEL. §. 37.

Ex

Ex Hai ad leucam vnam, ferè contra Aquilonem, paululum tamen declinando, eſt Bethel ciuitas, quæ prius Luza vocata eſt, vt legimus Geneſis cap.35. Hæc eſt in tribu Beniamin, vbi Iacob, proficiſcens in Meſopotamiam, fugiens Eſau, fratrem ſuum, lapidem capiti ſupponens obdormiuit, viditque in ſomnijs ſcalam, & Angelos aſcendentes ac deſcendentes, & erexit lapidem in titulum, appellauitque nomen loci Bethel, id eſt domus DEI. Errant, qui credunt Bethel hanc eſſe in Ieruſalem. Nam eo tempore Melchiſedech in Ieruſalem regnauit, eratque vrbsglorioſa. Si ergò Bethel in Ieruſalem extitiſſet, non vtique eſſet verùm, Iacob dormiſſe in campo. Præterea in hoc Bethel oſtenditur lapis erectus in titulum, & ſepulchrum Delboræ, nutricis Rebeccæ, ſubtus in valle, quæ tamen conſtat non eſſe in Ieruſalem. Et qui hæc dicunt, in alio non habent fundamentum, niſi in quibuſdam verſibus, qui nullius ſunt autoritatis, ſc. Solyma, Luza, Bethel, Ieruſalem, Iebus, Ælia. Vrbs ſacra Ieruſalem dicitur atque Salem. Verùm à ſic dicentibus vellem erudiri, in quo loco veteris vel noui Teſtamenti teſtimonium reperiunt Ieruſalem dictam fuiſſe Luzam, vel Bethel, niſi fortè velint templum Bethel, id eſt, domum Dei appellare. Sed eſt in æquiuoco laborare. Hoc enim ſenſu omnis Eccleſia dici poteſt Bethel. Præterea ſuper illud Gen.cap.13. Reuerſus Abraham per iter, quo venerat in Bethel, gloſa Diui Hieronymi, qui locum ipſũ viſit. uerat, ſic habet: Bethel ciuitatiuncula eſt duodecimo ab Ieruſalem lapide, id eſt milliari (in termino n. cuiuslibet milliaris in ſignum ſtatuebatur lapis erectus) in tribu Beniamin ad dextram euntibus Neapolim, quæ prius Sichem, iuxta Luzam, quæ eſt in tribu Ephraim, & proxima diuiſio inter Beniamin & Ephraim in medio eius tranſit. A Bethel ad leucam vnam contra Aquilonem verſus Rama, quæ & Silo dicta fuit, eſt palma Delboræ, de qua ſic legimus in libro Iudicum cap.4. Erat autem Delbora Prophetes, vxor Lapidoth, que iudicabat populum illo tempore, & ſedebat ſub palma, quæ nomine eius vocabatur. Hæc miſit Barach ad debellandum Siſaram in monte Thabor.

Confutatio aſſertionis falſæ.

D. ANATHOT. §. 38.

EX Bethel duab⁹ leucis contra Aquilonem, ab Ieruſalem leuca vna, non longè à Rama Beniamin eſt Anathot, viculus ſacerdotum, ex quo Ieremias Propheta oriundus extitit. Vnde ſic legimus in argumento ſuper Ieremiam: Ieremias Anathotites, qui eſt viculus, tribus à Ieroſolymis diſtans milliaribus. Iuxta Anathot inter Orientem & Auſtrum, incipit ſolitudo illa, quæ mediat inter Ieruſalem & Iericho, nunc deſertum Quarantana dictum, extenditurq; ſupra Galgalam, & vſq; ad deſertum contra Thecuam, & Engaddi iuxta mare mortuum.

D. VINEÆ BALSAMI IN ENgaddi. §. 39.

SVpra mare mortuum in littore eius Occidentali de Segor leuca vna eſt aſcenſus montis Engaddi, in quo Dauid latuit ex 1. Regum cap. 24. cùm inſidiaretur ei Saul. In circuitu ipſius montis, & in ipſa vinea Balſami conſita erat. Sed Herodis Magni tempore Cleopatra, Ægypti regina, in odium ipſius Herodis, fauente ſibi Antonio, tranſtulit eam in Babyloniam Ægypti. Et non colitur in Ægypto vinea illa niſi à Chriſtianis, rigaturque aquæ fontis, in quo fama eſt beatiſsimam virginem ſæpe infantem Ieſum lauiſſe, cum fuiſſet propter Herodem in Ægyptum. Sunt tamen adhuc ſurculi vinearum valdè nobiles in Engaddi, vt ad literam verificetur, quod ſcribitur in Canticis cap. 1. Botrus Cypri dilectus me⁹ mihi in vineis Engaddi. Verùm Sarraceni non colunt illas. & Chriſtiani non habitant illic, qui colere eas valeant. Sub Enggaddi iuxta littus maris mortui arbores quidem ſunt viſu pulcherrimæ, ſed fructus earum cùm diſcerpitur, in trin ſecus fauilla & cinere plenus inuenitur. Montes Engáddi ſublimes ſunt valdè, & mirabilis diſpoſitionis, prærupti rupibus & vallibus, adeò quod ſimiles non vidi, qui & videntibus incutiunt horrorem.

¶ *Variant Ioſephus Antiq. lib.* 15. *cap.* 5. *Plinius lib.* 12. *cap.* 25.

D. ADOMIM. §. 40.

EX Iericho quatuor leucis contra Occidentem via, quæ ducit Ieruſalem, ad ſiniſtram Quarantane, eſt caſtrum Ado-

nim, vbi ſecundum Lucam cap. 10. quidam deſcendens ab Ieruſalem in Iericho incidit in latrones, quod & modernis temporibus multis contingit, & à frequenti ſanguinis effuſione locus ille nomen accipit. Eſt enim horribilis viſu, & periculoſus valdè, niſi quis fuerit cum optimo comitatu.

D. BAHVRIM. §. 41.

Semei. Ex Adomim duabus leucis contra Occidentem eſt caſtrum Bahurim de tribu Beniamin, ex quo Semei, filius Iemini, qui, vt legimus in 2. Regum cap. 16. maledixit David, cum egreſſus eſſet Ieruſalem, fugiens, ne Abſolon, creatus Rex in Hebron, comprehenderet eum. Eſt caſtrum perpulchrum, & valdè munitum, in loco alto conditum. Inferius autem in valle contra

Beon. Orientem in via regia eſt lapis, dictus Beon Ruben, magnus in modum clibani, videturq; eſſe marmor.

D. BETHANIÆ. §. 42.

Ex Beon contra Occidentem, quantum eſt iactus duorum arcuum, in loco procliuiore eſt caſtellum Marthæ & Mariæ, Bethania, ante cuius introitum minus quàm ſit iactus lapidis iuxta ciſternam in campo oſtenditur locus, vbi Dominum Bethaniam venienti occurrit Martha, deinde Maria vocata. In Betha-

Simon leproſus. nia adhuc oſtenditur Simonis leproſi domus, in qua recubuit Saluator. Item domus Marthæ, in qua hoſpitari ſolitus erat, quæ hodie eſt Eccleſia in honorem Marthæ & Mariæ conſtructa. Item ſepulchrum Lazari, ex quo ſuſcitatus eſt propinquum dictę eccleſiæ, vbi & erecta eſt marmorea capella decens & pulchra, monumentumq; ipſum marmoreum [illegible], in quo & ego deſcendi. Sarraceni [illegible] venerantur [illegible] illud propter miraculum ſuſcitati Lazari, à Saluatore [illegible]. In receſſu à Bethania nondum apparet ſancta Ieruſalem propter montem Oliueti interpoſitum: ſed aſcenditur primò quidam terræ tumor, & pars dilectæ ciuitatis cum monte Sion ponitur in proſpectu. Eia cle-

Auctoris exclamatio. mentiſſime Deus, quot deuotæ lachrymæ, quot pectorum tunſiones, quot gratiarum actiones ſunt in loco illo, peregrinorum, videntium

videntium exultationē vniuerſæ terræ, vrbem ſanctā regis magni. O quanta exultatio ibi erit videre locum gloriæ tuæ, bone & verè Ieſu, ſi ignominiæ & confuſionis tuæ locus cum tanto mentis iubilo videtur & colitur. Sed iam omiſsis omnibus ad ſanctiſſimæ Ieruſalem deſcriptionem feſtinemus. Deſcenditur igitur de monte, & iterum Vrbs ſancta oculatur. Iterum ſub latere orientali montis oliueti iuxta Bethphage, quæ ad iactum lapidis ad ſiniſtram relinquitur. Sub monte oliueti [illegible] in valle eſt viculus admodum paruus: ibi aſcenditur per latus auſtrale, & gyratur mons Olueti, & peruenitur ad locum, vbi Dominus aſinum aſcendit, vt legimus Matth. cap. 21. Et ſtatim oculis noſtris tota Ieruſalem obijcitur cum templo & Eccleſia ſanctiſsimi ſepulchri, alijſq; locis ſacris. Videtur ergò poſt deſcenſum montis Olueti, vbi turbis præcedentibus, & clamantibus: O ſanna filio Dauid, lætantibuſq; de benedicto & ſalutifero eius aduentu, pijſsimus Ieſus videns ciuitatem, & eius excidium, fleuit amariſsime ſuper illam. Procedamus ergò, & ingrediamur locum orationis eius in angoniam, & locum captionis eius in Gethſemani, tranſeamus torrentem Cedron, & ſequamur, ſi quo modo concedatur venire in Golgatha, vbi ſteterunt in cruce fixi fluentes ſanguine diuini pedes eius. Moriamur ibi cum Chriſto, dulciſsimo Saluatore noſtro, & cum ipſo pariter innouati Spiritu reſurgamus.

DESCRIPTIO SANCTÆ VRBIS Ieruſalem. §. 43.

IEruſalem igitur ciuitas Dei ſummi, de qua dicta ſunt & quotidie dicuntur magna ac mirabilia, ſitum habet montuoſum, montibus inſuper circumdatur, de quibus infrà dicturi ſumus: cuius regio fertilis & amœna, præterquam contra Orientem & Iordanem. Diſtat ab Achon leucis tribus, quæ eſt contra Aquilonem, à Sebaſte ſiue Samaria 16. à Sichem 13. à Nazareth 27. Hæ omnes contra Aquilonem. A Ioppe 23. Hæc ferè eſt occidentalis, parum tamen Aquilonaris. A Iericho 7. Hæc eſt orientalis. A Bethlehem 2. A Thecua 4. Ab Hebron 8. Hæ ſunt contra Auſtrum. Eſt autem in declini latere montis ſita, partim quidem ab Auſtro, partim ab Occidente. Ab Auſtro ſita eſt in latere

montis Sion, imò partim in monte, partim in eius deſcenſu, deſcenditq; longitudo eius ab ipſo monte Sion, ſe extendens contra Aquilonem. Ab Occidente habet montem G[illegible]on, & pendet ab eo, cuius latitudo contra Orientem eſt v[illegible]; ad torrentem Cedron, ſiue vallem Ioſaphat, & eſt ciuitas e[illegible] magna, vt infra dicturi ſumus. Nec verùm eſt, vt q[illegible]id m[illegible]ur, ipſam nunc in alio loco ſitam eſſe, quàm fuerit Do[illegible] paſsionis tempore, adducentes pro ſua ratione, qu[illegible] cùm [illegible] extra portam p[illegible]ſus fuerit, teſte Paulo ad H[illegible]æos, & hodie paſsionis locus intra ciuitatis mœnia videatur, i[illegible]o ad a[illegible] locum tranſlata ſit, Tales ſic dicunt, quia regionem & vrbem ipſam non viderunt. Situs Ieruſalem eſt, & ſemper fuit talis, quod ſtante templo DOMINI intra eius mœnia, vanum fuiſſet, imò impoſsibile, eā ex toto ad alium locum transferre propter locorum munitionem ex omni parte, conſimilē enim munitionem alibi habere non poſſet vllo ingenio. Eſt tamen in rei veritate eius latitudo amplior effecta priori, ſua longitudine ſeruata, ſtatq; tota antiqua ciuitas intra muros, & habitatur. Licet pauci hoc tempore ſunt habitantes, conſpecta tantæ vrbis capacitate: habitatores ſiquidem penè in continuo timore conſtituti ſunt. Diſpoſitionem Ieruſalem antiquam, pro virili mea inueſtigare ſtudui. Erat quidem antiquitus, ſicut & hodie, mons Sion pro ſui parte ſupereminens ciuitati, capax valdè, vt videatur ſe ſolo poſſe fundare ciuitatem. Qui mons Sion ſumens principium à porta aquarum, ſiue fontis Siloë, contra Orientem conſtituit ſemicirculum, contra Auſtrum vſque ad Occidentem, vbi erecta fuerat turris Dauid, eratque per totum ſemicirculum rupes prærupta, ſimiliter arc⁹ eſt ſemicirculi, qui apellabatur Mello, ad cuius repletionem inter montem Sion & ciuitatem inferiorem, reges Iuda leguntur plurimum laboraſſe. Turris Dauid in quodam colle ipſius præruptæ rupis ſatis eminenti, contra Occidentem conſtructa fuerat, & vorago ipſa correſpondens parti Auſtrali montis Sion, cingens eam vſque ad occidentem, vbi turris Dauid tangebat rupem, ſtatim curuabatur inclinando ſe ab Occidente, contra Orientem gyrans ipſam turrim. Sicque turris in rupe in quodam angulo illius voraginis conſtituta fuerat. Vallis autem ſiue vorago, quæ ipſam cingebat, ſecabatur in duas profun-

Hieroſolymæ ſitus hodiernus.

Sion.

Mello.

Turris Dauidis.

das

valles,quarum una contra Aquilonem,alia contra orientem procedebat. Hæ duæ valles conſtituebant angulum,oppoſitum angulo, in quo ſita fuerat turris Dauid, qui angulus erat de ciuitate inferiori,vt infrà dicetur. Vallis igitur illa,quæ ex turri Dauid deſcendebat in latere aquilonari montis Sion,vſque ad montem Moria,ſuper quem templum conſtructum fuerat,ſeparabat montem Moriam a monte Sion, totamque ciuitatem inferiorem,deſcendebatque vltra vallis hæc ſiue vorago vſque in torrentem Cedron per locum, vbi nunc eſt aquarum porta inter montem Sion & palatium Salomonis, quod ædificatum fuerat in parte Auſtrali montis Moria. Sicque vorago iſta antiquitus ex omni parte cingebat montem Sion, & hæc erat ciuitas Dauid. Verùm nunc vorago ipſa tota eſt terra repleta,cuius cauſam dicam infrà: poſſunt tamen eius veſtigia adhuc depræhendi. Secunda vorago,ſiue vallis,quæ ſecabatur à prædicta ſub turri Dauid,procedebat contra Aquilonem,eratque ciuitati pro vallo vſque ad finem eius in parte Aquilonis. Supra vallem per totum interius rupis eminens, quam Ioſephus appellat Acram, conſtructus fuerat ciuitatis paries, circumdans eam ab Occidente,vſque ad portam Ephraim, ibique iterum curuabatur contra Orientem vſque ad portam anguli,quæ conſtituta erat in angulo ciuitatis, qui erat contra angulum Aquilonis & Orientis: & ibi iterum curuabatur paries de Aquilone per Orientem contra Auſtrum extra arcam templi, includens eam & domum Regis & portam Siloë, iuxta montem Sion ad Orientem. Rupes autem illa,ſuper quam, vt diximus,ciuitatis paries ab Occidente conſtructus fuerat,eminens erat valdè,&maximè in angulo,vbi parietis pars occidentalis copulatur cum aquilonari. Ille enim locus erat turris dicta nebuloſa, & caſtellum valdè firmum,cuius ruinæ adhuc extant ibi. Sunt tamen qui dicunt, turrim nebuloſam fuiſſe iuxta templum, quod loci diſpoſitio & decliuitas non admittit. Ex hac rupe, vt iam diximus, ex parte Occidentis dependebat ciuitatis latitudo, declinantis paulatim vſque ad Orientalem, protenſum vſque ad torrentem Cedron, vbi ciuitas erat, & etiam nunc demiſsior. Vnde & ibi ciuitatis ſordes per ſterquilinij portam defluebant in torrentem Cedron. Extra voraginem ſæpius dictam eſt parte occidentis ad ſiniſtram euntibus de porta veteri,

Acra.

Turris nebuloſa.

 ſiue iu-

ſiue iudicialis, fuit Saluator cruci affixus, poſt cuius paſsionem longo tempore vorago illa repleta eſt. Et murus altus ædificatus a turri Dauid vſque ad portam Ephraim, quæ nunc porta ſancti Stephani appellatur. Vides itaque quòd ab Auſtro mons Sion, ab occidente verò rupes illæ, quæ montis Gihon pars exiſtebat, ſupereminebant vrbi, & ſub his duobus montibus contra Orientem & Aquilonem tota ciuitas quaſi in dextro montis latere pendebat. Mons Moria, ſuper quem Domini templum & Regis palatium conſtructa fuerant, aliquanto altior erat ipſa vrbe, vt patet ex ſitu templi, & ſecundum quod Ioſephus ſcribit. Quæ loca nunc ſunt omnino explanata, & ferè demiſsiora reſiduo ciuitatis. Explanatus enim fuit mons Templi per Romanos, & tractus in torrentem Cedron cum omnibus ruinis templi & atriorum, quod hodie palam eſt videre. Area templi quadrata eſt, habens longitudinem & latitudinem quantum iacere poſſet arcus. Templum, quod in ea ædificatum eſt poſt deuaſtationem per Romanos factam, in eodem loco ſitum eſt, in quo verum & antiquum templum per Salomonem conſtructum fuerat. Nam quatuor atria erant intermedia, ſed & præſens templum diſtat à torrente Cedron paſsibus multis. Non ab longè area templi contra Aquilonem, minus quàm iactus eſt lapidis, extat porta vallis: per eam enim erat deſcenſus in vallem Ioſaphat. Dicitur & porta gregis, quando per eam introducebantur greges, immolandi templo. Huic adhærebat turris, quam quidam arbitrantur Nebuloſam, vel Ananahel. Sed erat turris Phaſel, cuius adhuc veſtigia apparent. Intrantibus portam gregis ad ſiniſtram

Phaſaëlus. iuxta aream templi occurrit Piſcina probatica, in qua Nathinei hoſtias lauabant, præſentantes eas ſacerdotibus in templo offerendas. Hæc adhuc oſtenditur quinq; porticus habuiſſe, in quibus iacebant languentes, expectantes aquæ motum. Ad dextram verò viæ prædictam portam intrantibus in eccleſia ſanctæ Annæ oſtenditur piſcina grandis, dicta piſcina interior, quam rex Ezechias hoc modo fecit. Obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, conuertitque aquas eius ſubtus ad occidentem vrbis Dauid per vallem paulo ante dictam, incidens petram ferro, & inducens aquas per ciuitatis medium in piſcinam iſtam, vt in obſidione haberet populus aquas ad bibendum, & eas non poſſent

Piſcina probatica.

Gihon.

Aſſyrij

Aſſyrij prohibere, fontem verò aquarum Gihon, qui non longè diſtat ab agro fullonis, duxit in piſcinam ſuperiorem, quę eſt ſuper natatoria Siloë, quam Achaz inceperat, ſed non perfecerat. De hac piſcina, & hoc fonte, eiuſque ſitu, dictum eſt illud Eſaiæ cap.7. Egredere ad extremum aquæductum piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis. Eſt enim piſcina hæc & dicitur ſuperior reſpectu natatoriæ Siloë. Ipſa enim natatoria Siloë ex hac piſcina & ex fonte Siloë aquam [illegible] tanquam interior. Et pro maiori noticia piſcinarum Ieruſalem, de quibus ſacræ literæ loquuntur, ſcias tantum quatuor fuiſſe celebres piſcinas. Prima & præcipua fuit probatica, quinque porticus habens. Hanc conſtruxit Salomon in miniſterium templi. Secunda fuit iuxta illam contra Aquilonem in eccleſia ſanctæ Annæ, dicta interior. Hanc fecit Ezechias eo modo, quo expoſuimus. Tertia eſt natatoria Siloë, conſtituta ſub monte Sion, iuxta agrum Akeldama, recipiebatque aquam ex fonte Siloë, quam & Ezechias fecit. Quarta erat piſcina ſuperior, de qua proximè dictum eſt: hanc ſimiliter fecit Ezechias. Quod ſi alicubi ſcriptum legatur, hanc quartam piſcinam fuiſſe in ciuitate, non eſt verum, imò impoſſibile. Hoc dixerim, quoniam ſcio nonnullos aſſeuerare, ipſam fuiſſe in ciuitate, ac recepiſſe aquam ex fonte Siloë, quod eſſe non potuit, cùm ciuitas eſſet altior quadringentis cubitis ipſo fonte Siloë, nec aqua ad tantam altitudinem poteſt ſurſum fluere. Verum eſt tamen, quòd recipit aquas ex fonte Siloë, & fonte inferiori aquarum Gihon, eò quòd eſt extra ciuitatem ſub ipſis fontibus non longè à natatoria Siloë. Præter has quatuor piſcinas non legi, nec vidi alias in Ieruſalem eſſe, vel fuiſſe antiquitus, niſi fortè quis mare æneum, fabricatum in faciem templi, inter piſcinas numerare velit. Berilia tamen quædã modernis temporibus conſtructa ſunt infra vrbem non longè à domo Patriarchæ & Hoſpitalis S. Ioannis, de quibus nulla eſt mentio in ſcripturis ſacris. Vallis Ioſaphat Ieruſalem circumdabat ex parte Orientis ſub monte Oliueti, quæ etſi adhuc ſatis profunda ſit, multum tamen iuſſu Romanorum repleta fuit. Nam vt ſcribit Ioſephus, ex ea parte oppugnantes, inciſis Oliuetis, alijſq; arboribus, & aggeribus inde fa-

ctis

ctis, repleuerunt eam. Inſuper deuicta & expugnata vrbe, explanârunt Domini templum, & Regis atria, & montem Moria, ſuper quem ædificata fuerant, vt de cætero locus iterum muniri non poſſet, iuſſeruntq; omnia detrahi in torrentem Cedron. Sub monte Sion contra regiam Salomonis in occidentali latere vallis Ioſaphat eſt fons Siloë, ex quo per aquæ ductum fluit aqua in ſuperiorem piſcinam, & natatoria Siloë, quando exundat aquis, non enim fluit continuè ſed interpolatim. Vtraq; piſcina ſita eſt in baſi montis Sion inter ipſum & Akeldama, qui ad Auſtrum earum iacet. Aſcendit inſuper ad has piſcinas aqua fontis inferioris Gihon, qui ortum habet ſupra agrum fullonis iuxta locum vbi Rabſaces, vt legimus in 4. Regum cap. 18. exprobrauit Deo excelſo, ſtante & audiente populo ſuper murum. Iuxta piſcinas has ad iactum lapidis vltra vallem in parte eius auſtrali eſt Akeldama in ſepulturam peregrinorum emptus 30. argenteis, precio Saluatoris venditi, vt legimus Matthæi 27. cap. Multa ſunt in eo conſtructa monumenta precioſa. Infrà piſcinas proximè dictas & Akeldama contra Orientem defluit torrens Cedron, collectis in ſimul aquis, quas ſecum trahit à ſuperioribus, ſc. Rama & Anathot & ſepulchro reginæ Adiabenorum. Iunguntur inſuper ei aquæ extes de præfatis piſcinis, deſcenduntq; in vallem Gehennon, quę & locus Tophet apellatur, in qua quidem valle eſt lapis Zoëleth & fons Rogel, vbi, vt legimus 3. Regum cap. 1. Adonias, filius regis Dauid affectans regnare, ſtruxit nobile conuiuium. Ibidem ſepultus quieſcit Eſaias Propheta, qui iuxta fontem Siloë ſerra ſectus fuit. Sunt loca hæc delicioſa valdè hortis & viridarijs, torrente Cedron irrigante illa. Suprà fontem Rogel eſt mons offenſionis. Et in valle proximè dicta filij Iſraël idolis ſeruientes traijciebant filios ſuos per ignem, vt legimus in quarto Regum cap. 17. Hactenus dixerimus de diſpoſitione & ſitu ſanctæ vrbis. Supereſt vt quatuor iterum conſideremus: Primò de vrbis ambitu & magnitudine ſua. Secundò de portis Ieruſalem, in ſacris literis totiens nominatis. Tertiò de montibus in circuitu eius. Quartò de locis ſacris & venerandis intus & extra Ieruſalem.

Siloë. *Akeldama.* *Cedron.* *Gehennon.*

DESCRI-

DESCRIPTIO MAGNITVDINIS ET ambitus Ieruſalem antiquæ. §. 44.

DE magnitudine inclytę Ieruſalem ſciendum eſt ſecundum Ioſephum, quod dempto monte Sion amplectebatur per gyrum ſtadia 33. computato autem monte Sion, murus exterior, qui tertius erat, ſecundum Ioſephum, habuit 90. turres, quæ ſingulæ diſtabant ab inuicem ducentis cubitis, hoc eſt, trecentis pedibus, ex quibus reſultant 67. paſſus, medij inter turrim & turrim. Multiplicatis autem 67. paſſibus per nonaginta, reſultant quinq; millia quadringenti. Cùm igitur 125. paſſus conſtituant ſtadium, ſi diuiſeris quinq; millia quadringenta per 125. exibunt 40. ſtadia, quæ conſtituunt quinq; milliaria. Et hic erat ambitus glorioſæ Ieruſalem antè deſtructionem per Romanos, cui interfuit ipſe Ioſephus. At poſtquam ad fidelium manus deuenit, ampliata eſt, eo quòd DOMINI ſepulchrum incluſum eſt, quod extra portam, ſicut & Caluariæ locus, erat. Qua de cauſa ſi Ieruſalem tota antiqua habitaretur, nunc ambitus eius maior exiſteret. *Mons Caluariæ.* Metitus ſum ego Ieruſalem antiquam, quæ paſsionis tempore integra & populoſa apparebat, inueniq; per diametrum à porta vallis vſq; ad portam veterem 500. paſſus. Et hæc fuit antiquitus latitudo ſua, quæ hodie longè maior eſt. Nam mons Caluariæ, qui extra veterem portam exiſtebat, iam clauditur inter ciuitatis mœnia. Quod & probare intendo ex auctoritate venerabilis patris, Domini Iacobi de Vitriaco, Ieruſalem Patriarchæ, & Apoſtolicæ ſedis Legati, qui in libro ſuo, quem edidit de conqueſto Terræ ſanctæ, ſic ſcribit: *Locus Iacobi de Vitriaco.* Eſt autem ſæpè nominata & ſæpius nominanda ciuitas Ieruſalem, quæ ſecundum omnes eius partes in monte ſublimi poſita, muro valido vndique cincta, nec nimia paruitate anguſta, nec magnitudine cuiquam faſtidioſa. A muro namque ad murum tantam habet diſtantiam, quantùm arcus quater iactus metiri poſſet. Præterea à parte occidentali munitionem habet ex lapidibus quadris, ferro & plumbo compaginatis, quæ ex vno latere pro muro eſt ciuitati, & turris Dauid appellatur, ipſa tamen eſt, quæ à quibuſdam Antoniana dicitur. Montem autem Sion habet ab Auſtro, ſuper quem Dauid rex habitationem ſibi conſtruxerat. Et in eo cum

multis regibus Iuda ſepultus quieſcit, & illam ciuitatem Dauid appellauit. Mons Caluariæ, in quo Dominus crucifixus eſt, erat à parte occidentis extra murum ciuitatis,ſed Ælius Adrianus ciuitatem ipſam, per Titum & Veſpaſianum omninò deſtructã, reparauit, & in tantum ampliauit, quòd locum crucifixionis & ſepulturæ Dominicæ intra murorum ambitum concluſit,omni eius ſitu manente, ſicut prius. Huc vſq; verba Domini Iacobi de Vitriaco Patriarchæ.

DE PORTARVM IERVSALEM. § 45.

Circa numerum portarum Ieruſalem, ſcias deuotiſsime Lector, in antiqua ciuitate fuiſſe tantùm octo,& poſt reparationem ſimiliter octo, varijs quidem nominibus denominatas. Prima igitur erat porta Dauid,in latere montis Sion,illo in loco, vbi duæ voragines à ſe inuicem ſeparabantur, quarum vna contra Aquilonem, alia extendebat ſe contra Orientem, eratq; ibi teſtudo facta vltra voraginem contra portam,per quam patebat exitus extra ciuitatem. Ad dexteram huius teſtudinis Iudas in vno Sycomororum laqueo ſe ſuſpendit. Nehemias cap.3. appellat eam portam piſcium.Nam per eã erat via in Ioppen, & Dioſpolum & maritima,vnde deferebantur piſces in Ieruſalem. Dicta fuit etiam negociatorum porta, eò quòd per eam erat tranſitus in Bethlehem,in Hebron,in Gazam,in Ægyptum,in Æthiopiam. Verùm tranſitus ille ſecabatur ſupra agrum fullonis in monte Gehon, & à ſiniſtris erat iter in Hebron, à dextris autem in Ioppen. Sed iterum modico interuallo hic,qui verſus Ioppen, tranſitus diuidebatur, & à ſiniſtris ducebat in vallem Raphaim ſub caſtro Bethſura verſus Philiſtijm, & Gazam,& Ægyptum,& Æthiopiam,vnde negociatores varias & precioſas merces afferebant: à dextris autem ducebat in Emaus,& Ramatha,& Ioppen contra occidentem ad mare, vnde conducebantur piſces, vt dictum eſt. Dicta fuit & porta Dauid,eò quod turris Dauid,& eiuſdem ciuitas beata,in monte ſupereminerer.

Hieroſolymæ portæ 8.

Secunda porta fuit in eadem muri parte,reſpiciens ſimiliter occidentem,ſed à prima diſtabat contra Aquilonem. Itaq; fuit,vt legimus Nehemiæ cap 3. porta vetus. Nam ibidem etiam fuit

iam fuit Iebuſæorum tempore, qui Ieruſalem dominati ſunt
ante egreſſum Iſrael de Ægypto. Dicta eſt & porta iudicio-
rum, nam ante eam iudicium agitatum erat,& quæ iam iudica-
ta fuiſſent per ſententiam, extra hanc portam executioni de-
mandabantur. Extra hanc Reparator mundi crucifixus. Nam
lithoſtratos, locus iudicij, erat intra muros ciuitatis iuxta hanc λιθόστρω-
portam,cuius veſtigia adhuc apparent in muro antiquo. In no- τος.
uo autem,qui Domini ſepulchrum includit,correſpondet ei por-
ta,eodem nomine nuncupata, quà tenditur in Silo, & Bethoron,& Gabaon,& ad montem,vbi diuino miraculo Leo quidam Leo.
triginta millia martyrum ſepeliuit, quos impius Coſdroes Per-
ſarum rex, martyrio conſumpſit, vt legimus in Eccleſiaſtica hi-
ſtoria.

Tertia porta contra Aquilonem dicta eſt porta Ephraim, nam per eam ad montem Ephraim patebat iter.Hanc Nehemias in eodem cap. apellat equorum portam. In ea copulatur paries nouus cum antiquo, qui ideò conſtructus eſt vt Domini ſepulchrum intra vrbem concluderetur. Appellatur nunc ſancti Stephani porta,nam extra eam lapidatus eſt ipſe protomartyr. Hac patet iter verſus Sichem,Samariam & Galilęam.

Quarta porta contra Orientem in angulo ciuitatis ſuper torrentem Cedron,dicta eſt porta anguli,eò quòd in ciuitatis angulo conſtructa fuerat,de qua legimus in quarto Regum cap.14. quod Ioas interrupit murum Ieruſalem à porta Ephraim vſque ad portam anguli quadringentis cubitis. Dicta fuit & porta Beniamin: nam per eam patebat iter in Anathot,& in deſertum, & ad alias vrbes tribus Beniamin.Ex deſerto Beniamin per hanc portam Cameli vehebant ligna pinea in Ieruſalem.

Quinta porta, ſita contra Auſtrum,dicta eſt porta Sterquilinij,ſita & ipſa ſuper torrentem Cedron,& Neemias cap.3.denominat eam conformiter. Dicta eſt autem Sterquilinij,quoniam verſus eam vt demiſsiorem decurrebant omnes ſordes Ieruſalem in torrentem Cedron. Per hanc ſimiliter patebat iter in deſertum Beniamin. Non erat autem multum populoſa,loca enim contra eam poſita , erant vilis & barbaræ habitationis.

Sexta porta fuit ſimiliter contra Auſtrum ſuper torrentem Cedron,dicta porta gregis etiam apudNehemiam in eod.cap.Nā

per eam inducebantur animalia,in templo immolanda,quæ priꝰ lauabantur in piſcina probatica, propinqua huic portæ. Dicta fuit & porta vallis, nam per illam patebat iter in vallem Ioſaphat. Ab hac porta diſtabat ſepulchrum beatæ virginis, quantum iactus eſt lapidis. Eidem portæ imminebat turris Phaſel,ab Herode rege conſtructa. Dicta fuit & porta fontis, dicti Draconis,apud Nehemiam,ante hanc portam ſcaturientis.De hoc fonte loquemur in deſcriptione ſepulchri Beatæ virginis. Per hanc patebat iter in montem Olìueti,Bethaniam & ad Iordanem.

Phaſaëlus turris.

Septima porta iterum contra Auſtrum,ſimiliter ſuper torrentem Cedron, dicta fuit porta aurea ſita in atrio templi,propter quod ſcias magis appellandam portam templi,quàm ciuitatis. Per eam ſiquidem patebat iter compendioſè ad montem Oliueti, vltra vallem Ioſaphat per teſtudinem quandam. Et quoniam potius fuit templi quàm ciuitatis,ideò Nehemias de ea mentionem non fecit. Intra hanc fuit templi porta,dicta ſpecioſa,in qua iacebat languens, ſanatus à Petro, vt legimus in actibus Apoſtolorum cap. 3. Ex hac ſeptima porta erat tranſitus in Bethaniam,& Iericho, & Iordanem.

Octaua porta fuit ſimiliter à parte Auſtrali ſuperiori ſuper torrentem Cedron , ſita in valle inter montem Sion ac montem templi,dictaq; fuit porta fontis Siloë,ſiue porta aquarum. Ducebat enim ad fontem Siloë,& vallem Gehennon,& Akeldama,& ad hortum regis.Nehemias autem cap.3. apellat eam ſimpliciter portam fontis.Non credo plures portas fuiſſe in Ieruſalem.Situs enim eius plures non requirebat : nam per totum montis Sion circuitum, etſi erat porta opportuna, diſpoſitio tamen loci impediebat.Mons enim vndiq; præruptus erat.

D. MONTIVM IN CIRCVITV IEruſalem. §. 46.

Mons oliueti.

TEſte Pſalmo, Montes in circuitu eius, quorum nomina & diſpoſitionem & numerum intendimus exponere. A parte vrbis orientali adiacet oliuarum mons altior cæteris,qui circumdant eã. In cuius ſummitate erecta eſt Eccleſia in eo loco, ex quo Saluator poſt 40. dies cœlum glorioſus aſcendit. In huius eccle-

ſiæ medio rotunda eſt apertura, vt omnibus etiam pateat in aëre, qua parte Dominus alta petit. Lapis ille, ſuper quem pedes eius ſteterunt, cùm aſcendere diſpoſuit, veſtigia pedum impreſſa veluti ſigillata cera retinuit. Locatus deinde fuit pro altari, ſed nunc altare deſtructum eſt, & Eccleſia ſacra (heu Deus meus, Deus patiens) verſa eſt in Mahumeteam. Lapis ille ſacer poſitus eſt in obſtructione hoſtij orientalis ſine cemento, & licet oculis non pateant diuina illa veſtigia, manu tamen immiſſa tangi & diſcerni optimè poſſunt. In latere eiuſdem Eccleſiæ adhæret capella verſus Auſtrum, in qua Pelagia, quondam famoſa meretrix poſt gratam Deo conuerſionem, diuinamque pænitentiam, moriens ſepulta iacet. Dicitur nullum, qui detinentur peccato mortali, poſſe tranſire inter parietem & eius ſepulchrum eleuatum. Huius veritatem neſcio, plures tamen tranſierunt, & ego vidi. In eodem monte contra Auſtrum à prædicta Eccleſia quantus eſt iactus lapidis, alia eſt, dicta panis domus, vbi Saluator diſcipulos orare docuit, orationemq́; Dominicam in lapide ſcripſit. Contra Auſtrum ſituatur offenſionis mons humilior quidem monte olineti, & valle intermedia ſeparantur. Appellatus eſt offenſionis mons eò, quòd Salomon, vt legimus in tertio Regum capit. 11. idolum Moloch dicauerit è regione ſacri templi, Deum excelſum ad iracundiam prouocans. Inter Orientem verò & Auſtrum ſitus eſt ager Akeldama, & mons deſuper admodum ſublimis eodem nomine nuncupatus, tenetq́; ferè totam Auſtri partem contra vrbem. Huic ab Occidente adiacet fullonis ager, & mons deſuper eiuſdem altitudinis vt prior. Agro fullonis adhæret mons Gihon à parte occidentali ciuitatis, ſic tamen diſponuntur, quod via ex porta Dauid, ſiue negociatorum, mediat inter eos. Mons Gihon ab occidente ſupereminet ciuitati, verùm paulatim defecit, adeò quòd contra portam veterem ſiue iudiciariam ſit valdè depreſſus. Terra tamen tumoroſa eſt vlterius procedendo contra Occidentem & Aquilonem vſq́; ad ſepulchrum deuotiſsimæ Helenæ reginæ, quod cõtra portam Beniamin ſuper torrentem Cedron locatum eſt. Vltra torrentem Cedron, in latere aquilonari eſt alius mons admodum altus, quatuor ſtadijs diſtans ab vrbe, vbi Salomon Chamos, idolo Moabitarum, templum conſtruxit, vt legimus in 3. Regum cap. 11. Tempore Machabæorum

S. Pelagia.

Mons offenſionis.

Akeldama.

Gihon.

Monumentum Helenæ reginæ.

chabæorum

chabęorum hoc in loco ædificatũ fuit caſtrum, cuius veſtigia permanent, vnde habitantes Ieruſalem multipliciter infeſtati fuêre. Omnes præſcripti montes propinqui fuêre mœnijs ciuitatis, non tamen adeò propinqui, vt ex eis poſſet ciuitas aliquo inſtrumento vel ingenio impugnari. Hæc de vrbis ſitu & ambitu & portis & montibus ſufficiant.

D. SACRORVM LOCORVM IN IEruſalem & extra §. 47.

Item Mariæ uirginis.

SAcra loca deſcripturus, incipiam ab extra, vt liceat longius immorari in locis Dominicæ ſepulturæ. In valle Ioſaphat non quidem in ima profunditate, verùm in pede montis Oliueti, parum tamen ſupra ipſam vallem, locatum fuit beatiſsimæ & Chriſtiferæ virginis ſepulchrum, quod quidem ante ſubuerſionem Ieruſalem per Romanos, ſupra terram eminens erat, nunc autem terra coopertum eſt, adeò quòd eccleſia ibidem in honorem virginis conſtructa, cùm ſit ſublimium parietum, nobiliſsimeq; teſtudinata, ſicut decens eſt tantam virginem honorare, nunc ſit tota ſubterranea, & repletionibus ruinarum templi & atriorum, de quibus ſupra diximus, omnino ſit cooperta, vallisq; Ioſaphat ibidem adeò repleta fuit, quòd extat via publica tranſiens ſuper prædictam Eccleſiam, iam ſub terra abſconditam. Eſt tamen ibidem in terræ ſuperficie poſt vrbis reparationem conſtructa Eccleſia vel ædificium per modum capellæ: quod cùm ingreſſus fueris deſcendes per gradus plurimos ſub terra in Eccleſiã præſcriptam, & ad ſepulchrum beatiſsimæ virginis, & credo, ni fallor, ſunt gradus 60. Eſt autem ſepulchrum in medio chori ante altare marmoreum, & magnifice decoratum, quòd & Saraceni deuotiſsimè venerantur oſculãtes proſtrati, & ſacræ virginis ſuffragia alta voce ſuo more implorantes. Ego fui in ſepulchro ipſo, viſumq; eſt mihi hortus aromatum ex fragrantia tantæ virginitatis, & neſciens præ ſpiritu & admiratione, quid dicerem, decantare cepi. Sicut Cinamomum & Balſamum aromatizans odorem dedi, lachrymæq; omnium aſtantium comitum meorum vbertim effluebant, ac benè nobis erat cum eis. Nolo autem

tem te ignorare ſtudioſe Lector, Eccleſiam,quæ iam ſubterranea effecta eſt, valde humilem eſſe,eò quod torrens Cedron repletionibus prædictis coopertus, ſub ipſa decurrit, & ex inundantia aquarum excreſcit aliquando,vt ſcaturiens in tantum erumpat, quod Eccleſiam replet aquis, & aſcendens per omnes gradus per oſtium capellæ ſuperioris extra fluit. In cœmiterio eiuſdem non longe ab eius oſtio indigenæ hauriunt aquam ex fonte, qui apud Nehemiam Draconis fons appellatur,ante portam gregis, ſiue vallis. Beatiſsimæ virginis Eccleſia intus illuminatur ex feneſtris orientalibus diſpoſitis contra montē Olіueti. Non longè ab oſtio capellæ ſuperioris, qua eſt via per gradus ſubterraneos ad Eccleſiam beatiſsimæ Mariæ, dimenſis paſsibus quinquaginta contra Orientem ,vt ego ipſe demenſus ſum , eſt alterius Eccleſiæ oſtium dictæ Gethſemani,vbi erat hortus,quem ingreſſus eſt Saluator cum diſcipulis, patrem oraturus,vt ſi poſsibile eſſet, calix paſsionis tranſiret. Locus hic eſt in latere montis Olіueti adhærens cuidam rupi concauæ de monte pendenti, ſub qua diſcipuli ſederunt, cum dixit eis Dominus: Sedete hic, donec vadam illuc & orem. Oſtenditur & adhuc locus ſeſsionis eorum. Oſtenditur & locus, in quo tentus fuit à turbis, Iuda eum oſculo tradente. Videntur lineamenta verticis & capillorum eius in rupe deſcendente. Apparet in alio lapide impreſsio digitorum eius, quam creditur feciſſe rupem apprehendendo, cum traheretur à turbis. Et velim ſcias,quòd de lapide illo nec modicum quidem abradi poteſt, cùm tamen maximè laborauerim etiam ferreis inſtrumentis, vt inde mecum aliquid deportarem. Impreſsiones autem prædictæ ita claræ in eo videntnr,ac ſi in cera figuratæ fuiſſent.Ex Gethſemani quantum eſt iactus lapidis contra Auſtrum locus eſt,vbi auulſus à diſcipulis prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius,vt guttæ ſanguinis decurrentis in terram.Illic & ſimilis lapis eſt,retinens impreſſas genuum & manuum eius figuras, à quo nec modicum quid abradi poteſt. Inter locum hunc & Gethſemani ante Eccleſiam Beatiſsimæ virginis tranſit via, qua patet ad montem Olіueti aſcenſus, inde in Dothaim & Iordanem.Ex hoc loco orationis Domini ad iactum lapidis contra Auſtrum in pede montis Olіueti in valle Ioſaphat,

in op-

cuidam rupi concaue de monte pendenti,ſub qua diſcipuli ſederunt,cùm dixit eis Dominus: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Oſtenditur & adhuc locus ſeſsionis eorum. Oſtenditur & locus, in quo tentus fuit à turbis,Iuda cum oſculo tradente. Videntur lineamenta verticis & capillorum eius in rupe deſcendente. Apparet in alio lapide impreſsio digitorum eius, quam creditur feciſſe rupem apprehendendo,cum traheretur à turbis.Et velim ſcias,quòd de lapide illo nec modicum quidem abradi poteſt, cùm tamen maximè laborauerim etiam ferreis inſtrumentis, & inde mecum aliquid deportarem. Impreſsiones autem prædictæ ita clare in eo videntur, ac ſi in cera figuratæ fuiſſent. Ex Gethſemani quantum eſt iactus lapidis contra Auſtrum locus eſt, vbi auulſus à diſcipulis prolixius orabat,& factus eſt ſudor eius,vt guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Illic & ſimilis lapis eſt, retinens impreſſas genuum & manuum eius figuras,à quo nec modicum quid abradi poteſt. Inter locum hunc & Gethſemani ante eccleſiam Beatiſsimæ Virginis tranſit via,qua patet ad montem Oliueti aſcenſus,inde in Dothaim & Iordanem. Ex hoc loco Orationis Domini ad iactum lapidis contra Auſtrum in pede montis Oliueti in valle Ioſaphat,in oppoſitum templi,oſtenditur ſepulchrum Ioſaphat, regis Iuda,cuius ſuperpoſitam vidi pulcherrimam Pyramidem.

Θρόμβοι.

Monumentum Ioſaphati regis.

In ciuitate ſancta Ieruſalem, tot exiſtunt ſacra loca, quod dies non ſufficit,vt omnia viſitentur,inter quæ ſanctiſsimi ſepulchri Eccleſia principatum retinet. Eſt figuræ circularis,intus habens columnas 73. quarum quælibet præter baſes eſt longitudinis 30.pedum.Suprà Domini ſepulchrũ,exiſtens in Eccleſiæ medio,eſt apertura Sphærica, ſic quod tota ſepulchri crypta eſt ſub dio.Golgathana eccleſia huic adhæret, & eſt oblonga,choro ſancti ſepulchri contigua,parum tamen demiſsior,ſuntq; ambæ ſub eodem tecto. Spelunca, in qua Domini ſepulchrum continetur, eſt longitudinis 7. pedum, exterius vndique tecta marmore. Rupes quidèm eſt nuda,ſicut paſsionis tempore. Oſtium,quo in hanc ſpeluncam patet ingreſſus, ab oriente ſitum eſt,demiſſum valdè & paruum. Tumba verò ſancti ſepulchri eſt ad dextram ingredientis iuxta parietem ad ſeptentrionem ex marmore griſei coloris, alta à ſuperficie pauimenti palmis 8. longa autem pedi-

Templum ſepulchri Chriſti.

pedibus 7. & ſicut crypta ſiue ſpelunca ex omni parte clauſa eſt nec lumen recipit ab extrinſeco, ſed continuæ pendent nouem accenſę lampades,lumẽ adminiſtrantes. Eſt autem altera ſpelunca ſita ante ſpeluncam ſanctiſsimi Sepulchri eiuſdem longitudinis & latitudinis ac diſpoſitionis intus & extra,& antequam quis ingrediatur, apparent vt vna. Primò ergò intratur in anteriorem deinde in aliam,in qua iacuit Saluatoris noſtri feliciſsimum corpus. In anteriorem ingreſſæ ſunt mulieres, cùm dixerunt: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti. Lapis enim aduolutus fuerat oſtio interioris ſpeluncę, cuius vna pars tranſlata eſt in montem Sion,vt ſuperponeretur altari,quam quidem partem & ego ibidem vidi. Caluariæ mons, ſuper quem Dominus cruci affixus eſt, diſtat à loco ſancti Sepulchri pedibus 109. aſcenditurque ad locum, vbi crux infixa eſt rupi, per 29: pedes à ſuperficie pauimenti Eccleſiæ. Sciſsio rupis vel foramen, in quo crux firmata fuit, tantæ altitudinis eſt vt caput hominis recipiat. Nam & ego caput meum demiſi. Deſcenditq́; profunditas eius à loco ſuperficiali fixionis vſq; ad pauimentum Eccleſiæ inferius,per 28. pedes. Color ſanguinis Saluatoris benedicti apparet in ipſa ſciſsione rupis. A latere manus ſiniſtræ Domini pendentis in cruce ædificatum eſt altare decorum valdè,& marmoreum. Ego ſuper ipſum bis celebraui de paſsione,legens paſſionem ſecundum Iohannem. Pauimentũm capellæ,in qua conſtructum eſt ipſum altare, ſtratum eſt marmore,& parietes marmore tecti,opere Muſaico decorati ex auro puriſsimo. Ex Caluaria 10. pedibus contra Orientem eſt altare, ſub quo recondita eſt pars illius columnæ,ad quam Dominus flagella ſuſtinuit. Fuit autem ex domo Pilati tranſlata,ac ibi repoſita,vt à fidelibus poſſet videri, tangi, venerari & deoſculari. Extat autem ex lapide ſubnigro, quibuſdam macalis rubeis naturalibus reſperſo,quas tradit vulgus, guttas eſſe ſanguinis Chriſti cruentati, dum flagellaretur. Pars alia eiuſdem columnæ tranſlata fuit Conſtantinopolin. Ex altari ſacræ columnæ contra Orientem deſcenditur per gradus 48. ad locum, vbi deuotiſsima Helena, Conſtantini mater,viuificam crucem reperit. Locus iſte longè ſub terra eſt, in quo capella & duo altaria conſtructa ſunt,vnum quidem dicatum ſalutiferæ cruci,alterum putatur dicatum cruci conuerſi latronis.

Miraculũ.

Mons Caluariæ.

Helena Aug.

L

latronis. Locus autem, in quo ab inuidis & cæcis Iudæis cruces
abſconditæ fuerunt, conſiderata antiquæ vrbis diſpoſitione, vi-
detur mihi fuiſſe ciuitatis foſſa extra parietes portæ iudiciariæ,
quæ quidem foſſa propinqua erat Caluariæ loco. Nam &
apud Iohannem legimus, quòd prope ciuitatem paſſus eſt Do-
minus, exiſtimandumq; eſt, quòd Iudæi depoſitis corporibus,
in contemptum proiecerunt, cruces omnes in foſſam, & deſuper
ciuitatis ſordes proijci curauerunt, vt marceſſerent. Deuotiſsima
verò regina Helena locum mundari iuſsit, & inuenta ſacratiſsima
cruce, in imo ac profundo illius foſſæ capellam & altaria erexit.
Eſt enim nunc locus ille, vt ſuprà deſcripſimus, inter mœnia con-
cluſus. Locus in quo ſterit Beatiſsima virgo, ex doloribus trans-
fixa, cum alijs mulieribus iuxta crucem, non fuit ſub crucis bra-
chio ad Aquilonẽ, vt quidam volunt, & prædicant, ſed ante faciẽ
filij ferè ad Occidentem. Oſtenditur enim hodie locus poſitionis
ſuæ ante faciem filij, in cruce pendentis, ſub monte & rupe, in
qua crux defixa fuerat, & à fidelibus deuotiſsimæ veneratur, quæ
pluries vidi & colui. Sciaſq; ſtudioſe Lector, Saluatorem no-
ſtrum in cruce pendentem faciem vertiſſe ad Occidentem, non
ad Orientem, vt quidam ſibi perſuadent, & prædicant, quod qui-
dem ex eo patet, quòd vorago illa grandis, de qua actum eſt ſu-
prà, & quæ fuit vrbi pro foſſa, à parte Occidentali exiſtebat retrò
crucem, in qua & proiecta fuit, ſteritq; abſcondita ſub ſordibus,
donec ab Helena fuit inuenta. Altaria multa extant, in Eccleſia
Maria Æ- ſepulchri, decenter compoſita & ornata. Ante eiuſdem Eccleſiæ
gyptiaca. occidentale oſtium foris eſt locus, vbi Ægyptiaca Maria mere-
trix diuinitus prohibita eſt ingredi ſacram Eccleſiam, & illic
orans ante beatiſsimę virginis imaginem, meruit conſolationem
per reſponſum. Dum procedimus contra turrim Dauid, & mon-
Domus tem Sion, locus eſt, vbi ab Herode Agrippa Iacobus Apoſtolus
Caiphæ. interemptus eſt. Deinde procedentes vltrà in montem Sion, in-
uenimus Caiphæ domum, in qua mitiſsimus Saluator illuſus &
deriſus fuerat, & locum, in quo vſq; manè recluſerunt eum, qui
& carcer Domini apellatur. Inde quantum iactus eſt lapidis con-
tra Auſtrum eſt locus, vbi Beatiſsima virgo vſq; in finem ſuæ vi-
tæ permanſit, & illic migrauit. Huic loco in propinquam eſt cæ-
naculum grande, in quo Dominus Paſcha cum diſcipulis cele-
brauit

brauit, pedes abluit, & Euchariſtiam ſanctiſsimam inſtituit. Poſt reſurrectionem diſcipulis illic congregatis pluries apparuit, Matthias ſorte electus eſt, Spiritus ſanctus datus eſt, multaq; diuina & admiranda illic perfecta fuere. Huic loco ferè ad Aquilonem adhærent ſepulchra Regum Iuda, vt Dauid, Salomonis & aliorum partim in Eccleſia montis Sion conſtituta, partim extra. Hæc de locis ſanctæ Ieruſalem dixerim. Et velim ſcias care Lector, vrbem ſanctam in loco adeò eminenti conditam fuiſſe, vt ex ea videatur Arabia & mons Arabum, & Nebo & Phaſga montes, & Iordanis planicies & Iericho, & mortuum mare vſq; ad Petram deſerti. Nec ciuitatem aut locum vidi, qui pulchriorem habeat proſpectum. Ad ipſam ex omni parte aſcenditur, eò quòd ſita eſt in loco eminentiori, qui ſit in regione illa, præterquam Silo, diſtans ab Ieruſalem duabus leucis, vt ſtatim deſcribemus.

Monumentis regum Iudaic.

DESCRIPTIO SILO. §. 48.

AB Ieruſalem duabus leucis contra angulum, conſtitutum inter Occidentem & Septentrionem, eſt mons Silo, nunc quidem ſanctus Samuel. Sublimior eſt omnibus, quoad ſitum, qui ſint in regione ſacræ Ieruſalem. Diſtat à Gabaa Saulis interuallo vnius leucæ & plus, tantundem diſtat à Rama Beniamin. In Silo populus Iſrael acquiſita terra promiſsionis, repoſuit arcam Domini, propterea fuit Silo vt Domus Dei, donec arca fuit illic. Vnde legimus in libro Iudicum cap. 20. quod Iſrael filij venerunt in Domum Dei, hoc eſt in Silo.

DESCRIPTIO GABAON §. 49.

A Monte Silo per leucam vnam diſtat Gabaon, vrbs in tribu Beniamin, in eodem tamen monte ſita. Nam in Silo monte fuit vrbs denominata Silo, ab ipſo monte, in qua ſeruabatur arca Domini. Ab hac vrbe diſtat per leucam Gabaon, ſita in eodem monte. Habitantes Gabaon, vt legimus in libro Ioſuæ cap. 9. audientes cuncta, quæ fecerat Ioſua, perrexerunt ad eum, dum habitaret in caſtris in Galgala, pacē cum Iſrael habere cupientes.

Arca Domini.

AB Ieruſalem 4. leucis contra occidentem diſtat caſtellum Emahus, vbi Dominus, poſtquàm à mortuis ſurrexit, à diſcipulis cognitus eſt in fractione panis, vt legimus Marci cap. 16. Hodie quidem Nicopolis denominatur.

DESCRIPTIO BETHORON. §. 51.

AB Ieruſalem duabus leucis contra Occidentem ſub monte Silo eſt Bethoron inferior, de quo fit mentio in libro Ioſuæ & prmo Machabæorum. Scire te velim, ſtudioſe Lector, duas fuiſſe Bethoron, ſuperiorem & inferiorem, quas primò ædificauit Sara, filia Ephraim. Sic enim legimus in lib. 1. Paralipom. cap. 7. Filia eius fuit Sara, quæ ædificauit Bethoron ſuperiorem & inferiorem. Deinde Rex Salomon extruxit, id eſt muniuit, & fortiores reddidit. Sic enim legimus 2. lib. Paralip. cap. 8. Extruxit Salomon Bethoron ſuperiorem & inferiorem, ciuitates munitas habentes portas, vectes & ſeras. Sunt autem in tribu Beniamin.

DESRIPTIO CARIATHIARIM. §. 52.

AB Ieruſalem quatuor leucis & dimidia contra Occidentem, via qua tenditur Dioſpolin, ſiue Lyddam, eſt Cariathiarim, vna ex vrbibus Gabaonitarum, in qua per 30. annos quieuit arca Domini, poſtquam reducta fuit de terra Philiſtijm. Vnde ſic ſcribitur in primo Regum cap. 7. Venerunt viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam DOMINI, intuleruntq́; eam in domum Aminadab.

DESCRIPTIO LACHIS, NVNC AVtem Velenas. § 53.

EX Cariathiarim duabus leucis contra Occidentem ferè diſtat Lachis, vna de vrbibus Gabaonitarum, quam expugnauit Ioſua, vt patet in eiuſdem lib. cap. 10. Sannacherib autem eam obſedit

obſedit tempore Ezechiæ,ex 4.Regum. Nunc quidem Velenas dicitur, & quoniam filij Dan acceperunt eam, vocata eſt ab eis Dan. Et hæc eſt, de qua ſæpè legimus in libris Regum: Congregatus eſt omnis populus Iſrael à Dan vſq; Berſabee.

DESCRIPTIO BETHSAMES Iudæ. §. 54.

EX Chariathiarim duabus leucis contra Auſtrum ferè eſt oppidum Bethſames, quod ad differentiam alterius Bethſames in tribu Neptalim, dictum eſt Bethſames Iudæ. Attamen in rei veritate fuerat de tribu Dan, quæ circa finem ſortis Iudæ eſt iuxta mare. Ab hac tamen Bethſames Iudas in Saraa & Eſtaol, vſq; ad terminum Ioppe ferè ſortem accepit. In agrũ Bethſames Iudæ duæ vaccæ iuuenculæ, & inaſſuetę iugo, deduxerunt arcam Domini ex Accaron Philiſtijm, vt legimus in 1. Regum cap. 6. Et quoniam Behſamitæ viderunt arcam Domini nudam dum meterent triticum in valle, mortui ſunt ex eis multa millia.

DESCRIPTIO RAMATHÆ SOphim. §. 55.

AB Ieruſalem decem leucis contra Occidentem eſt Ramatha Sophim, quæ partim de tribu Beniamin, partim de tribu Ephraim fuit, ſita tamen in monte Ephraim. Samuel Propheta fuit in ea oriundus, ibiq; ſepultus. Sic enim ſcribitur in primo Regum cap. 25. Mortuus eſt Samuel, & congregatus eſt omnis Iſrael, & planxerunt eum nimis, & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha Sophim. Dicta fuit & Arimathia, ex qua fuit ſanctus ille Ioſeph, nobilis decurio, qui corpus noſtri Saluatoris aromatibus condidit, & pientiſsimè ſepeliuit. Nunc verò Ramula nuncupatur. Ex Ramatha Sophim, ſiue Ramula, contra Occidentem tribus leucis eſt Ioppe ciuitas, ad quam deſcendit Ionas Propheta, cùm fugeret à facie Domini. Sic enim legitur in Iona cap. 1. Et ſurrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini, & deſcendit Ioppen. Hæc eſt vulgatiſsima ciuitas in libris Maccabæorum, & Apoſtolorum Actibus. In ea oſtenditur Petri Apoſtoli hoſpitium, conſtructa Eccleſia ſub rupibus iuxta mare.

Samuel uates. *Ioſephus decurio.* *Ioppe.*

& ſcopuli illi ad quos vani Poëtæ fabulantur Antromedam, Cephei filiam, alligatam fuiſſe, & à Perſeo liberatam.

DESCRIPTIO BETHLEHEM. §. 56.

David. AB Ieruſalem duabus leucis contra Auſtrum ſita eſt Bethlehem benedicta, vnde Dauid Rex traxit originem, ex 1. Regum cap. 16. In ea natus eſt mundi Saluator, Matthæi cap. 2. In ea ſepulta fuit Rachel, cùm Iacob reuerteretur ex Meſopotamia, Geneſis ca. trigeſimo quinto. Super cuius ſepulchrum Iacob conſtruxit Pyramidem pulchram nimis in typum monumenti Rachelis. In cuius baſi duodecim diſpoſuit lapides grandes iuxta numerum filiorum Iacob. Scias tamen, ſepulchrum illud non eſſe in ciuitate Bethlehem, ſed foris iuxta viam, quæ ducit Hebron, ad dextram ad iactum vnius arcus extra Bethlehem. Apud ſepulchrum Rachelis colliguntur lapilli quidam omnino habentes figuram cicerũ, quos peregrini colligere conſueuerunt propter quoddam Domini miraculũ, quod quia autoritate caret pertranſeo. NOTA. Nihil enim incerti, vt propoſui, eſt à me ſcribendum. Contra Orientem ciuitatis eſt turris Ader, vbi creditur Iacob poſt charæ Rachelis mortem aliquo tempore permanſiſſe. Turris hæc in ſacra Geneſi dicitur Turris gregis. Sic enim legimus cap. 35. Egreſſus inde Iacob, fixit tabernaculum trans turrim gregis. Ibidem Paſtores hora ortus feliciſsimi Saluatoris audiuerunt vocem Angeli: Euangelizo vobis gaudium magnum, &c. Gloria in excelſis Deo, &c. Quod quidem non niſi diuina ſapientia & diſpoſitione actum eſt, vt in illo loco natus Dei filius anunciaretur paſtoribus, in quo ſanctus ille paſtor Iacob commoratus fuerat, à quo deſcenderat ſtella ex Iacob, quæ ſuum & noſtrum peperit Reparatorem. Bethlehem ſita eſt in monte, non tamen excelſo. Mons tamen arctus eſt, extendens ſe longitudine ab Oriente in Occidentem. Ab Occidente patet ingreſſus. Iuxta portam adhuc permanent ciſterna illa, cuius aquam affectauit Dauid, cùm eſſet in præſidio, vt legimus in 2. Regum cap. 23. In fine Orientali eiuſdem vrbis ſub rupe quadam exiſtente tunc temporis iuxta parietem vrbis, videtur ſecundum illarum regionum morem

fuiſſe

fuiſſe locus pro ſtabulo, habens præſepe exciſum in rupe, vt moris eſt illic diſponere præſepia. Ibi ortus eſt huic mundo de virgine Sol iuſticiæ, Ieſus Chriſtus, declarans ſua natiuitate ſordes & tenebras huius ſeculi ſe ablaturum, eò quod in tam deſpecti loci ſordibus naſci non abhorruit. Iuxta rupem prædictam alia eſt capatior quatuor tantùm pedibus diſtans, ſub qua excauatum præſepe fuerat, in quo dulciſsimum illum puerum mox vt natum panniculis inuolutum, inter aſinum & bouem mater virgo reclinauit: alia namq; via ſibi non ocurrebat, quo tenellum infantem fouere poſſet. Videtur tamen mihi vtramq; rupem vnam fuiſſe, ſed oſtio facto diuiſa eſt, per quod in chorum ex capella, in quo eſt natiuitatis locus aſcenditur. Nam ad locum illum benedictum non peruenitur, niſi deſcenſu 10. graduum. Eſt autem natiuitatis locus ornatiſsimus, ex muſaico & marmore ſtratus precioſo nimis. Super locum, in quo cœleſtis virgo peperit, celebrari poteſt ſuper menſam marmoream, ibi optimè depoſitam. Pars lapidis, ſuper quem Saluator natus eſt, & præſepis pars, in quo reclinatus fuit, non ſunt veſtitæ marmoreæ, ſed nudæ relictæ, vt â fidelibus deuotius venerari & oſculari poſsint. Ego duabus noctibus illic permanſi cuſtodiens vigilias noctis, nunc hunc locum, nunc illum oſculando, vileſcebatq; mihi mundus iſte cum omni ſuperbia ſua, contemplans manſuetiſsimum & humillimum Dei filium, quomodo, vbi & ex qua naſci elegit. Væ huius ſeculi amatoribus. Non vidi, nec audiui dicentem, ſe viſitaſſe Eccleſiam purchriorem deuotioremq;. Quis non teneritudine emollitur, cogitans ſecum puriſsimæ virginis, dulciſſimi pueri & altiſsimi, ergò nos indicibilem charitatem. In Eccleſia ſunt marmoreæ columnæ precioſiſsimæ admirabiles multitudine & magnitudine, per quatuor ordines diſpoſitæ. Eccleſiæ nouis à capitibus columnarum vſq; ad ſummum tectum ornata eſt opere muſaico pulcherrimo, continentee omnes hiſtorias à principio mundi vſque ad Dominicum ortum ex virgine. Totum pauimentum ſtratum eſt marmore varij coloris, & decorum eſt mira varietate, cuius precium multorum iudicio æſtimari non poteſt. Incredibilia penè poſſent de hac ſacra Eccleſia deſcribi, quam Sarraceni omnes maxima deuotione ve-

ne venerantur. Vidi ego in Eccleſia illa miraculum cunctis ſeculis memorandum. Soldanus vidit huius Eccleſiæ ornatum, tabulaſq; & columnas precioſiſsimas. Præcepit omnia deduci in Babyloniam, ſtatuens ex ejs palatium ſuum conſtruere,& ornare. Mirum quiddam accidit. Nam aſtante Soldano cum curia ſua, acceſſerunt artifices cum inſtrumentis & ex integro pariete, quem nec acus potuiſſet penetrare, miræ magnitudinis ſerpens exiuit, & primam tabulam marmoream ſibi occurrentem momordit, & continuò crepuit, ſecundam momordit,& crepuit,& ſic ſucceſsiuè vſque ad quadrageſimam omnes crepuerunt per transverſum,cunctis ſtupentibus,& timore ſolutis: Soldanoque propoſitum reuocante, ſerpens diſparuit. Relicta igitur fuit Eccleſia,& eſt hodie ſicut prius. Serpentis veſtigia apparent vſque hodie in ſingulis quadraginta tabulis, & eſt quaſi combuſtio ex igne facta. Super omnia autem mirabile fuit, ſerpentem potuiſſe per transuerſum procedere vel ſerpere, qui planus & politus, vt vitrum apparet. In exitu huius Eccleſiæ contra Aquilonem eſt ambitus clauſtri Monachorum, deſcenditur tamen in illud quibuſdam gradibus. In hoc clauſtro eſt beati Hieronymi cella,& lectus & ſepulchrum,& monaſterij officina, in quo legitur idem ſanctus præfuiſſe. In parte Auſtrali ipſius chori oſtenditur locus, vbi magna innocentium pars ab Herode dicitur interfecta. Ab Eccleſia nati Saluatoris, quantum eſt lapidis iactus ferè, contra Orientem eſt Eccleſia ſanctorum Paulæ & Euſtochij, eiuſdem filiæ,vbi ſunt earundem monumenta. Hæc de benedicta & venerabili Bethlehem dicta fuerint.

Miraculum

Hieronymi monumentum.

DESCRIPTIO BEZEC. §. 57.

Ex Bethlehem ad dimidiam leucam contra occidentem eſt villa, nomine Bezec, vbi Saul creatus Rex congregauit Iſrael contra Naas Ammoniten. Sic enim legimus in 1.Regum cap.11. Inuaſit timor Domini populum, & egreſsi ſunt quaſi vir vnus,& recenſuit eos Saul in Bezec. Villa hæc abundat optimo vino, nec in regione illa melius inuenitur. Incolæ omnes ſunt Chriſtiani, & etiam villarum adiacentium in deſcenſu vallis Raphaim vſque ad torrentem botri, in omnibuſque locis illis vinum ex-

Raphaim.

num excellit in bonitate. Chriſtiani vineam colunt, habentq; priuilegium à Soldano illic permanenti, cui & magnum cenſum reddunt.

DESCRIPTIO COLLIS ACHILE §. 58.

EX Bethlehem ſex leucis contra Orientem ſupra mare mortuum eſt mons Engaddi, de quò actum eſt ſuprà. Ex Engaddi tribus leucis contra Auſtrum eſt collis Achile, in quo latuit Dauid, perſequente eum Saul. Sic enim legimus in 1. Regum cap. 26. Et venerunt Zephei ad Saul in Gabaa dicentes: Ecce Dauid abſconditus eſt in colle Achile, quæ eſt ex aduerſo ſolitudinis. Collis Achile ab Herode apellatus eſt Maſſada, in quo inexpugnabile caſtrum conſtruxerat.

DESCRIPTIO THEVCVÆ. §. 59.

EX Bethlehem duabus leucis contra collem Achile eſt Theucua, in monte ſita, in qua natus eſt & ſepultus Amos Propheta. De quo ſic legimus in argumento ſuper Amos: Fuit cognatio Amos ex oppido Theucua, quē Ozias vecte per tempora transfixit. Poſthac ſemiuiuus relictus, in terram ſuam reuectus eſt, & poſt aliquot dies expirauit dolore vulneris, ſepultuſq; eſt cum patribus ſuis. Oppido Theucuæ adiacet deſertum Theucuę. *Amos vates.*

DESRIPTIO VALLIS BENEDIctionis. §. 60.

INter Theucuam & Engaddi loco medio eſt Vallis benedictionis, in qua Ioſaphat, rex Iuda, pugnauit contra filios Moab & Ammon, & habitantes montem Seir, & auxilio Domini proſtrati ſunt, ideoq; vocârunt locum illum vallem benedictionis. Vnde ſic ſcribitur in lib. 2. Paralip. cap. 19. Die quartò congregati ſunt in valle benedictionis, & quoniam ibi benedixerunt Deum, vocauerunt nomen loci illius, Vallis benedictionis. *Ioſaphath.*

A Thecua 5. leucis inter Orientem & Auſtrum eſt Ziph oppidum iuxta deſertū, quod etiam Ziph appellatur, in quo legimus 1. Regum cap. 23. Dauid latuiſſe. Sic enim ibi ſcribitur: Morabatur autem in deſerto in locis firmiſsimis, manſitq; in monte ſolitudinis Ziph in monte opaco. Deſerto Ziph adiacet deſertum Maon ad Auſtrum, in quo eſt mons Carmelus, vbi Nabal habitabat, qui repulit nuncios Dauid, vt legimus 1. Reg: cap. 24. Cuius vxor fuit Abigail, quam in ſuam accepit Dauid mortuo Nabal. Deſerto Maon inter Auſtrum & Orientem adiacet mons ille Seir, quem vt ſupra deſcripſimus, iuſsi ſunt filij Iſrael longo tempore circumire, vt patet in lib. Deut. c. 2. Eidem Maon contra Auſtrum adiacet terra Amalech, quam iuſsit Dominus Saul vt euerteret eam, interfectis eius habitatoribus. Vnde ſic legimus in 1 Regum cap. 15. Nunc ergò vade, & percute Amalech, & demolire vniuerſa eius: Non parcas ei & non concupiſcas ex rebus eius aliquid.

Amalech.

DESCRIPTIO CADESBARNE. § .62.

ANte terram Amalech contra maris mortui linguam eſt Cades barne, ex quo, vt legimus in lib. Numeri cap. 13. miſit Moyſes exploratores 12. ad conſiderandam promiſsionis terram. Ibi longo tempore commorati ſunt filij Iſrael egreſsi de Ægypto, & inde iuſsi ſunt montem Seir circumire, ac reuerti per itinera maris rubri.

DESCRIPTIO BETHACARIS. §. 63.

EX Bethlehem tribus leucis contra Auſtrum via, quæ ducit Hebron, eſt Bethacaris, loco eminenti ſita, cui adiacet ad Auſtrum villa Rhama, excelſa valdè, in cuius colle ſublimi ſtans, vidi cū multis alijs totam Arabiam vſq; ad montem Seir, locaq; omnia circa mare mortuum, & loca latibulorum Dauid, Iordanem inſuper vſq; Sethim & vſq; ad montem Abarim: Contra Occidentem verò vidi in loco Hebron, littus totum magni maris, id

ris, id eſt mediterranei à Ioppe vſq; Gazam, & Berſabee vſq; ad deſertum Sur, totam inſuper terram Philiſtijm à Ramatha Sophim per Geth & Accaron & Aſculonem, cum omni planicie ſub monte Iuda.

DESCRIPTIO MAMBRE. §. 64.

Ex Rama proximè dicta 2. leucis & amplius ad dexteram iuxta viam regiam, quæ ducit Hebron, ſita eſt Mambre, vbi ex lib. Geneſ. cap. 18. longo tempore habitauit Abraham, poſt egreſſum de Vr Chaldæorum. Illic ſedens ad ilicem Mambre in oſtio tabernaculi, in ipſo feruore diei, vidit tres viros & vnum adorauit, quos & hoſpitio recepit. Ilex Mambre etiam hodie oſtenditur ante oſtium tabernaculi Abrahæ. Scias tamen, antiquam illam exſiccatam fuiſſe, ſed ex eius radice pullulauit alia, de cuius ligno & fructu mecum tuli. Folia ſua modico maiora quàm lentiſcus, ſed fructum penitus habet vt quercus. *Ilex annoſa.*

DESCRIPTIO ANTIQVÆ HEbron & nouæ, & ſpeluncæ duplicis. §. 65.

Ab ilice Mambre per dimidiam leucam ad dextram iuxta viam eſt Hebron illa antiqua vrbs, quondam Hebraicè dicta Cariatharbe, id eſt, vrbs Arbe, de qua ſic legimus in libro Geneſis cap. 23: Vixit Sara centum viginti ſeptem annis, & mortua eſt in ciuitate Arbe, quæ eſt in terra Chanaan. In hac regnauit Dauid ſuper Iudam ſeptem annos. Sic enim ſcribitur in ſecundo Regum cap. 2. Et fuit numerus dierum, quos commoratus eſt Dauid imperans in Hebron ſuper domum Iudam, ſeptem annorum & ſex menſium. Eſt in monte ſita ſublimi & tuto, ſed nunc penitus ruit. Cuius ruinæ adeò magnæ conſpiciuntur, quod ex eis arguitur, quàm glorioſa fuerit. Ab Hebron antiqua ad iactum trium arcuum ad Auſtrum, puſillum tamen ad Orientem declinando noua reſidet Hebron, illic conſtructa, vbi duplex ſpelunca extitit empta ab Abraham pro ſepultura charæ vxoris Saræ, vt legimus Geneſ. cap. 23. In ea ſepultus eſt

pater

Monumenta Patriarcharum. pater Abraham & Iſaac, & Iacob, & oſſa Ioſeph, delata ex Ægypto; & Sara & Rebecca, & Lia, Rachel autem in Bethlehem, vt diximus ſuprà. Sarraceni contra ſpeluncam duplicem, quæ in Eccleſia cathedrali continebatur, ædificarunt munitionem.

DESCRIPTIO AGRI DAMAſceni, §. 66.

A Spelunca duplici, iactu vnius arcus contra Occidentem, eſt celebris ager Damaſcenus, in quo fertur Adam formatus fuiſſe. Terram habet rubeam, flexibilem & tractabilem, ſicut cera, de qua mecum tuli, ſimiliter & peregrini, alijq; fideles, loca ſancta venerantes. Sarraceni terram illam deferunt in Ægyptum, Æthiopiam & Indiam, pro re valdè precioſa videntes. Modica tamen apparet effoſsio in loco illo: fertur enim quodlibet anno reuoluto miraculoſè repleri: fateor autem me immemorem effectum, in quærendo huius veritatem. Id tamen aſſero, quòd modica quidem extabat effoſsio, cùm illic adeſſem, adeò quòd quatuor viri vix in ea ſediſſent, in profunditate non excedebat humeros meos. Vulgatur aliud: Si quis terram illam ſupra ſe detulerit, animal pernicioſum non lædet eum, nec cadet, nec immergetur aqua, aut ſi cadit, non offenditur caſu illo. Hæc non aſſero, ſed vulgata refero. Vallis contra Hebron fertilis eſt valdè & delicioſa, ac delectabilis habitationis. Ab effoſsione agri Damaſceni ad iactum arcus vnius contra Auſtrum locus eſt, vbi Cain fratrem Abel occidit, vt legimus Geneſis cap. 4. Ab eadem effoſsione iactu duorum arcuum contra Occidentem, eſt ſpelunca quædam ſub rupe, in qua famoſum eſt, Adam & Euam filium Abel interfectum luxiſſe centum annos. Oſtenditur illic eorum lecti ſaxei. Eſt in ſpelunca fons ſcaturiens, de quo biberunt. Hæc vt vulgata, ſed non à me aſſerta, deſcribo. Habet in longitudine & latitudine ferè 30. pedes, ſub ſpelunca ipſa in valle deſcendit via, qua ex Hebron tenditur in Gazam contra Auſtrum. Diſtat autem hæc via ex Hebron, quantum iacere poteſt arcus.

Adamus πρωτόπλασος.

Vis terræ Damaſcenæ.

Cain patricida.

D. DA-

D. DABIR, QVÆ ET CARIATH-ſepher. §. 67.

EX Hebron duabus leucis contra Auſtrum eſt Dabir, quæ & Cariathſepher nuncupata eſt, quam expugnauit Othoniel, frater iunior * Caleb, cui Caleb copulauit in vxorem filiam ſuam Axam. Vnde ſic legimus in lib. Ioſuæ cap. 15. Caleb conſcendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vacabatur Cariathſepher. i. ciuitas literarum, & dixit: Qui percuſſerit Cariathſepher, dabo ei vxorem Axam, filiam meam. *Caleb.*

D. NEHELESCOL. §. 68.

EX Hebron tribus leucis conra Aquilonem, parum tamen declinando ad Occidentem, eſt Neheleſcol, id eſt, torrens botri, & eſt locus, vnde exploratores, miſſi à Moyſe, detulerunt palmitem cum vuis. Vnde ſic legimus in libro Numeri cap. 13. Pergentes vſq; ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum vua ſua, quam portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis & ficis loci illius tulerunt, qui appellatus eſt Neheleſcol, id eſt torrens botri, eò quòd botrum portaſſent inde filij Iſrael. Ad læuam huius torrentis per dimidiam leucam deſcendit riuulus, in quo Philippus Candacis reginæ Eunuchum baptizauit, vt legimus Actorum cap. 8. Propinquus eſt autem riuulus ille Sicelea. Ab Neheleſcol ſex leucis contra Ieruſalem eſt Zachariæ domus, in quam ingreſſa beatiſsima virgo ſalutauit Elizabeth. Vt legimus Luc. cap. 2.

Philippus Euangeliſta.

¶ Plenius de hac hiſtoria [illegible]

DESCRIPTIO VRBIS NOBE. §. 69.

EX Zachariæ domo tribus leucis contra Aquilonem, & tantundem contra Vulturnum de Nicopoli, eſt Nobe, ſacerdotum ciuitas, quæ nunc Bonocopolis nuncupatur. In ea habitabat Abimelech, ſacerdos magnus, cum alijs ſacerdotibus. Ad eam feſtinauit Dauid, fugiens Saulem, vbi propoſitionis panes comedit, & accepit gladium Goliath Gethei. Hæc omnia legimus in 1. Regum cap. 21.

Abimelech pontifex.

DESCRIPTIO CARIATHOT Abbatis. §. 70.

EX Bethlehem vna leuca & amplius in via, quæ ducit Thecuam, eſt Sepulchrum ſancti Cariathot Abbatis cum ſuis Monachis, quo migrante omnes migrauerunt, & fuit illic magnꝰ populorum concurſus, &c.

DESCRIPTIO TERRAE SANCTÆ CONTRA AVſtrum directæ.

CAPVT OCTAVVM.

SEptima deſcriptio, ſumens initium ab Achon, tendit directè contra Auſtrum.

D. VRBIS CAIPHAS ET CASTRI peregrinorum. §. 1.

Ab Achon quatuor leucis tendenti contra Auſtrum occurrit primò vrbs dicta Caiphas, ſub pede montis Carmeli ſita. Ex Caipha autem tribus leucis eſt peregrinorum caſtrum, Fratrum militiæ templi, munitum præ omnibus locis, quæ illis in partibus Chriſtiani obtinuerint. Situm eſt in corde maris, circumdatum muris & turribus, alijsq; propugnaculis adeo firmis, vt toti mundo videatur poſse reſiſtere. *Templarij.*

DESCRIPTIO SPELVNCÆ HELIÆ & fontis filiorum Prophetarum. §. 2.

EX Caipha ad leucam vna via, quæ ducit ad caſtrum peregrinorum, per aſcenſum montis Carmeli ferè dimidia leuca eſt ſpelunca Heliæ, in qua latuit fugiens à facie Iezabel, in cuius oſtio viſionem grandem vidit ſpiritus & ignis, vt legimus in 3. Reg: cap. 19. Illic eſt fons, vbi Prophetarum filij habitabant, nunc autem inhabitant Frares ordinis Carmelitarum, fuiq; cum eis ibidem. *Carmelitæ.*

DE

DESCRIPTIO CÆSAREÆ. §. 3.

A Peregrinorum caſtro quatuor leucis diſtat Cæſarea, metropolis Palæſtinæ, quondam Archiepiſcopalis ſedes. Hæc prius appellata fuit Turris Stratonis verum quia Herodes Magnus eam inſtaurauit, Cæſaream in laudem Cæſaris * denominauit. De cuius ſtructura & munitione Ioſephus multa ſcripſit. Cingitur ab Occidente mari magno, ab Oriente quadam palude aquarum dulciũ, ſed profundarum, in qua Crocodili abundant. Et ego tranſiens, diſcrimen magnum incideram, niſi Dominus de cœlo opem mihi dediſſet. Situm quidem firmiſsimum habet, ſed hodie penitus eſt deſtructa. Cæſareæ Petrus prędicauit, & baptizauit Cornelium, Act: cap. 10. Agabus, Propheta exiſtens, Cæſareæ prophetauit, Paulum alligandum in Ieruſalem, & tradendum gentibus, Actorum cap. 21. Paulus Cæſareæ contra Tertullum Oratorem diſputauit coram præſide Felice, Actor. cap. 24.

Auguſti.

Crocodili.

DESCRIPTIO ANTIPATRIDIS. §. 4.

A Cæſarea duabus leucis contra Auſtrum eſt munitio Aſſur, quæ ab Antipatro, Herodis Magni progenitore, Antipatris nuncupata eſt. De quo legimus in Actibus Apoſtolorum cap. 23. quòd milites, aſſumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipadrita.

DESCRIPTIO MACHMATHATH, nunc dictum Chato. §. 5.

EX Antipatride 4. leucis contra Orientem eſt Machmathat, nunc autem Chato nuncupatur. Fuit de tribu Manaſſe in planicie ſub monte Ephraim ſitum, nõ longè à monte Saron. In hoc Sarraceni præſidium militum diſpoſuerunt contra caſtrum peregrinorum. Per Chato eſt via in via Sichem & Ieruſalem. A Chato 4. leucis contra Auſtrum eſt mons Saron, & oppidum Sarona, cuius mentio fit in Actibus Apoſtolorum.

DESCRIPTIO GETH. §. 6.

AB Aſſur,ſiue Dora, 8. leucæ ſunt vſq; Ioppen,de qua actum eſt ſuprà. A Ioppe quatuor leucis diſtat Geth, vna ex vrbibus Philiſtijm. Ex ea,vt legimus 1.Regum cap.17. Egreſſus eſt Goliad, quem Dauid lapide necauit in valle Terebinthi. *Goliad.* Fuit non longè à mari ſita,nunc quidem deſtructa eſt,& commutata in exiguum Caſale, dictum Ibdin,in colle ſitum. Hinc propriè incipit regio Philiſtijm.

DESCRIPTIO, QVA DESCRIBVNtur mons modin & ſepulchra Machabæorum. §. 7.

EX Geth duabus leucis contra Auſtrum eſt Bethſames, de qua actum eſt ſuprà. A Bethſames ſex leucis contra Orientem in monte Iuda videtur mons Modin,in quo fuit Machabæorum ciuitas. Ibi habitauit ex 1. Machabæorum cap. 2. Matthathias, progenitor fortiſsimi Iudæ & fratrum eius. Illic ſepulti quieſcunt Matthathias, & quatuor filij eius, quibus Simon nobiliſsima monumenta dicauit. Sic enim legimus in 1. Machabæorum cap.13. Ædificauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui & fratrum ædificium altum viſu, lapide polito retrò & antè, ſtatuitq; ſeptem pyramides, vnam contra vnam patri & matri,& quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas,& ſuper columnas arma in æternam memoriam,& iuxta Arma naues ſculptas,quæ viderentur ab hominibus nauigantibus mare.

DESCRIPTIO ACCARON. §.8.

EX Bethſames quatuor leucis ferè contra Occidentem non longè à mari eſt Accaron,quondam ſecunda vrbs Philiſtijm ad quam deducta fuit arca Domini à Philiſteis. Sic enim legimus in 1.Regum cap. 5.Miſerunt ergò arcam Domini in Accaron.Deſtructa eſt,& verſa in exiguum Caſale, quod & Accaron nuncupatur.

DESCRIPTIO AZOTI. §. 9.

AB Accaron quatuor leucis contra Auſtrum eſt Azotus, tertia vrbs Philiſtijm, ad quam deducta fuit arca Domini. Sic enim ſcribitur in 1. Regum cap. 5. Philiſtijm autem tulerunt arcam Domini, & aſportauerunt eàm à lapide adiutorij in Azotum. Fuit per leucam diſtans à mari, nunc eſt vile Caſale, ſicut Accaron.

DESCRIPTIO MACEDA. §. 10.

A Ioppe duabus leucis eſt Lydda, ſiue Dioſpolis, de qua actum eſt ſuprà. Ex Lydda tribus leucis via, quæ ducit Gabaon, eſt Maceda vrbs, quam expugnauit Ioſua, in cuius ſpelunca quinq; Reges ſe abſconderant. Nam ſic legimus in libro Ioſuæ cap. 10. Nunciatum eſt Ioſuæ, quòd inuenti eſſent quinq; Reges, qui ſe abſconderant in ſpelunca vrbis Maceda, qui præcepit ſocijs: voluite ſaxa ingentia ad os ſpeluncæ.

DESCRIPTIO ASCALONIS. §. 11.

AB Azoto 4. leucis contra Auſtrum eſt Aſcalon, quarta Philiſlijm ciuitas, & præcipua, in qua videtur fuiſſe principatus Philiſtijm, ex eo, quod legimus in Amos Propheta cap. 1. vbi prophetans contra Philiſteorum vrbes inquit: Diſperdam habitatorem de Azoto, & tenentem ſceptrum de Aſcalone, & peribunt reliqui Philiſtinorum. Vſq; hodie permanet in littore maris ſita, figuram habens ſemicircularem, munita valdè, ex qua pendet nunc totum robur Sarracenorum.

DESCRIPTIO GAZÆ §. 12.

AB Aſcalone quinq; leucis contra Auſtrum eſt Gaza vrbs, in maris littore ſita iuxta viam, quæ ducit in Ægyptũ. Nunc communiter Gazara nuncupatur.

DESCRIPTIO BERSABEE NVNC Giblin. §. 13.

N Ex

Abraham. Ex Gaza vſq; Berſabee ſunt quatuor leucæ, nunc Giblin dicta. In hac multo tempore Abraham & Iſaac habitârunt, vt legimus Geneſ. cap. 21. Quare vocatus fuerit locus ille Berſabee, ſic ſcribitur eodem cap. Idcircò vocatus eſt locus ille Berſabee, quia vterq;, ſc. Abraham & Abimelech, iurauerunt ad inuicem pro puteo iuramenti. Fuit autem terminus Iudæ & terræ promiſsionis contra Auſtrum. Diſtat ab Hebron, plus quàm per dietam, ſicut & Gaza. Huius regionis partes tribus Iuda in ſortem accepit. Sequitur vaſta illa ſolitudo, quæ vſq; ad finem Ægypti extenditur, in qua Hebræus populus longo tempore errauit, de loco ad locum migrans. Hæc de Terra ſancta eiuſq; celebrioribus locis dicta ſunt.

Abimelech.

DESCRIPTIO LONGITVDINIS ET LATITVDINIS Terræ ſanctæ.

CAPVT IX. §. 1.

Octaua deſcriptio Terræ ſanctæ circa eius longitudinem latitudinemq; verſatur. Scias ſtudioſe Lector, longitudinem Terræ ſanctæ incipere ab Aquilone ſub monte Libano, vbi ſituatur Cæſarea Philippi, quæ nunc Velenas appellatur, protenditurq; contra Auſtrum vſq; Berſabee Iuda, propinqua deſerto magno. Et hæc longitudo in ſacris litteris ſignatur, cùm dicitur: A Dan vſque Berſabee congregatus eſt Iſrael, primo Regum cap. 5. Nam vt ſuprà deſcripſimus Velenas, Dan & Cæſarea Philippi idem ſunt. Longitudo tamen & latitudo totius terræ, quam decem tribus inhabitabant citra Iordanem, non apparet ſpatioſa multum. Quanta tamen fuerit meo iudicio, vt potui eam inueſtigare oculis contemplando, hîc deſcribam. Ad maiorem autem rei euidentiam Ioſephum adducam, acceptatum in hoc fidum & prudentiſsimum ſcriptorem. Igitur ſecundum Ioſephum + ſic accipe cuiuſcunq; decem tribuum ſortem citra Iordanem.

Antiqui: lib. 5. cap. 1

SORS

TRibus Iudæ ſuperiorem obtinuit regionem. Longitudo extenditur ab Ægypto vſque Ieruſalem, diciturque conti-nere 7. dietas. Eiuſdem latitudo eſt à lacu aſphalti, quod eſt mare mortuum, vſque ad mare magnum, id eſt, mediterraneum contra Occidentem, & eſt 15. leucarum.

SORS TRIBVS SIMEONIS. §. 3.

SOrs tribus Simeonis obuenit cum tribu Iuda ex ea parte, quæ eſt iuxta Ægyptum in monte Arabiæ. Sed illius partis millia-ria non adduco, quoniam intra Iudæ ſortem continetur.

SORS TRIBVS BENIAMIN. §. 4.

TRibus Beniamin ſortita eſt à Iordane vſque ad mare mag-num per longitudinem 15. leucarum: eius latitudo eſt ab Ieruſalem vſque Bethel, quæ non plene continet 4. leucas.

SORS TRIBVS EPHRAIM §. 5.

TRibus Ephraim à Iordane vſque Gadara, quæ eſt iuxta Iop-pen, in longitudine extenditur vſq; ad campum magnum Eſdrelon, ſiue Mageddo, quod idem eſt, vt ſupra deſcripſimus, vbi incipit Galilæa, continetque 12. leucas.

SORS TRIBVS MANASSÆ. §. 6.

VT legimus in libro Deuteronom: cap. 14. media tribus Manaſſe accepit ſortem cum tribu Ruben vltra Iordanem, de qua nihil ad præſens deſcribo, quoniam non ſufficienter con-ſideraui, vt infrà dicturus ſum. Altera media tribus Manaſſæ ci-tra Iordanem ſortita eſt ab ipſo Iordanis flumine vſque ad mare magum, vbi ſituatur Dora, cuius longitudo eſt 15. leucarum, eius autem latitudo eſt vſque Bethſan, continens 7. leucas.

TRibus Iſaſcha in ſortem accepit Iordanem & Carmelum iuxta Macedō quæ eſt longitudinis 8. leucarum, cuius latitudo fuit à Bethſai vſq; ad montem Taburim, continens quinq; leucas. Terra hæc pinguiſsima fuit, ideò minus accepit. Vnde in eius benedictione Geneſ. cap. 49. Dixit pater eius Iacob, Iſaſchar aſinus foris. Et ſequitur: Videt requiem, quòd eſſet bona, & terram, quòd eſſet optima. Eadem ratione & tribus Beniamin in poſſeſione breuiſsima fuit propter terræ ſortitæ fertilitatem. Acceperunt enim Ieruſalem & Iericho.

SORS TRIBVS ZABVLON. §. 8.

TRibus Zabulon ſortita eſt Carmelum vſq; Genezareth, longitudinis 9. leucarum: eius autem latitudo fuit à monte Thabor, per vallem Carmeleon continens quinq; leucas. Hæc ſimiliter pinguis & fertilis fuit valdè.

SORS TRIBVS ASER §. 9.

TRibus Aſer totam terram à Carmelo iuxta mare vſq; ad Sidonem magnam, longitudinis 20. leucarum, cuius latitudo fuit à mari magno contra occidentem vſq; Naaſon, continens leucas nouem. Terra hæc pro maiori parte montuoſa erat, ciuitas etiam Arce in eius parte ſita fuerat, quæ nunc Actipus nuncupatur.

SORS TRIBVS NEPTALIM §. 10.

TRibus Neptalim accepit partes ad Orientem, conuerſas vſq; Damaſcum, totam Galilæam ſuperiorem, à mari Galilææ, vſq; ad montem Libani, fonteſq; Iordanis, longitudinis verſus Orientem per decem leucas, cuius latitudo contra Aquilonem fuit à mari Galilææ vſque ad Libanum, continens 5. leucas.

TRibus Dan loca conuallis iuxta mare magnum accepit à Solis occaſu: Ab Auſtro accepit Azotum, ab Aquilone Dora determinata fuit. Hæc extitit eius longitudo. In latitudine autem accepit Ianniam & Geth & Accaron iuxta mare vſq; Bethoron ad Orientem ad pedem montis, ex quo pendebat tribus Iudæ. Partis huius milliaria non refero, quoniam ex tribu Iudæ, & Beniamin, & Ephraim ſecus mare partes ſumpſit. De Iuda quidem habuit Azotum & Accaron & Geth: De Beniamin habuit Ianniam & *Chamatha vſq; Ioppen & Saron montem, & cætera loca maritima vſq; Doram. Iuxta hanc deſcriptionem tota terra ſancta citra Iordanem nuſquam videtur excedere ſpacium 26. leucarum in latitudine, quæ eſt à Iordane vſque ad mare magnum, hoc eſt, ab Oriente in Occidentem. In longitudine verò quæ ſumitur ab Aquilone in Auſtrum, extenditur à Dan, quæ nunc Velenas, ſiue Cæſarea Philippi dicitur, vſq; Berſabee, dicta nunc Giblin, & non plene continet 120. leucas. Ecce ſtudioſe Lector, deſcripſi tibi verè & fideliter ſecundum latitudinem & longitudinem totam promiſsionis terram, decem tribubus diſtributam citra Iordanem. Terram autem duarum tribuum, ſcilicet Gad & Ruben, & dimidię tribus Manaſſæ, ex certitudine non ſcribo, quoniam vltra Iordanem non multum peregrinatus ſum, & licet tranſierim, tamen facultas non affuit diligenter notandi eam. Videtur tamen mihi longitudo eius, quæ protenditur à capite maris Galilææ ſeptentrionali vſque ad torrentem Arnon, vbi terminatur, continere ferè 27. leucas, latitudinem autem non vidi, ideò nihil de ea ad præſens. Suadeo mihi iam facto periculo, deſcriptionem hanc noſtram vtiliſsimam forè ſtudentibus, legentibus, exponentibus & euangelizantibus ſacram Bibliam, pro libris hiſtorialibus, lociſque celebrioribus intelligendis. Nec eſt hæſitandum in ea: teſtor enim Saluatorem, pro me natum & mortuum, pro cuius amore, & peccatorum meorum venia, tot annis peregrinatus ſum, quòd non niſi diligentiſsimè inueſtigata deſcripſi. Supereſt nunc vt de Terræ ſanctæ fertilitate & ritu & moribus, & conditionibus habitantum in ea, in medium afferamus. In calce autem compendioſe tradam totius

Emath.

Terræ ſanctæ longitudo & latitudo.

Fructꝰ huius commẽtarij.

Authoris conteſtatio

Ægypti deſcriptionem: in ea ſiquidē Iſrael longo tempore aduena & peregrinus fuit. Et hæc erit ſecunda pars huius noſtri libelli.

INCIPIT PARS SECVNDA EIVSDEM LIBRI, DE FERTILITATE Terræ ſanctæ.

CAPVT PRIMVM.

Encomium Terræ ſanctæ.

IGITVR TERRA SANCTA FVIT, ET eſt hodie egregia, amœna & fertilis ſuper omnes, vt viſu impleatur, quod Dominus dixit Deuteron: cap. 8: Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarum & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi, terra frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus & mala granata naſcuntur, terra olei & mellis, vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia frueris. Nec credendum eſt quibuſdam, contrarium nunciantibus; neq; enim diligenter eam conſiderârunt. His oculis vidi, qua facilitate terra benedicta fructificat. Frumentum vix terra exculta ſine ſtercore & fimo mirabiliter creſcit, & multiplicatur. Agri ſunt velut horti, in quibus feniculum, ſaluia, ruta, roſa paſſim creſcunt. Ibi bombax affluit, canamellæ abundant, ex quibus ſaccarum extrahunt. Scias tamen, quod in terra ſancta poma communia & pyra, & ceraſa, & nuces rarò reperiuntur. Cauſam neſcio aliam, niſi quia incolæ non conſueuerunt ſerere ſimilia: æſtimo enim, quod terra illa ſicut ficubus, ſic & pomis & nucibus inepta non eſſet. Ex Damaſco fructus quidam deferuntur, qui adeò molles ſunt, vt diu ſeruari non poſſint, propter nimiam in arboribus decoctionem, & terræ caliditatem. Sunt in terra promiſſionis cedri, citri, limones, anarangi ſuaſſiſſimi & optimi odoris, qui per anni circulum continuè ſeruantur in arboribus. Sunt & quædam poma citrina magna, ex quibus in Achon electuaria precioſa valdè conficiuntur. Sunt & fructus, dicti poma paradiſi, penitus admirabiles. Poma huiuſmodi creſcunt in modum botri vuæ, & eſt botrus ille interdum magnus, vt cophinus, id eſt, ſporta competens, habet grana aliquando centum, ali-

Poma Paradiſi.

quando

quando plus,ſicut vua. Grana illa aliquando ſunt longa ad quantitatem ſex digitorum,aliquando ſphœrica ad quantitatem oui gallinę,habentq; folliculum ſiue pellem,ſicut faba,crocei coloris, qua quidem pelle extracta, relinquitur granum mundum ſicut amigdala excorticata. Eſt enim intus granum illud albi coloris, aliquando vertitur ad croceitatem: ſaporis eſt delicatiſsimi & dulcis,vt mel. Grana intus ſemen penitus non habent, ſed tota eorum ſubſtantia commeſtibilis eſt. Fructus iſte vix vno anno creſcit,& maturat. Arbor citò deficit: eſt enim eius periodus triũ annorum ad plus,deinde areſcit,qua areſcente,alia ex radice prodire incipit, conſimiles fructus producens: areſcente ſecunda, procedit tertia,& ſic ſucceſsiuè: Arboris huius folia longa ſunt ad hominis ſtaturam,adeò lata, vt duo ſufficiant totum hominẽ tegere. Vineæ quidẽ multæ ſunt in terra ſancta,ſed & plures eſſent, niſi Sarraceni,nunc tenentes Dominium,vt qui ex lege ſui ſtulti Mahumeth vinum non bibunt,furtiuè deſtruerent eas. Sunt tamen aliqui Sarraceni Chriſtianis propinquiores,qui vineas colũt ex lucro,vuas enim Chriſtianis vendunt & vinum. Vinum,terræ ſanctæ precioſũ valdè eſt.& ſuaue,pręcipuè circa Bethlehẽ in valle Raphaim,& deinceps vſque Nehelefcol,vbi exploratores miſſi à Moyſe acceperunt vitem cum vuis,&detulerunt in caſtra,vt ſcribitur in lib. Num.cap.13. Item citra Sidonem & vltrà per longitudinem Libani,& in Antarado & Mathado. Et mirabile quidem dictu eſt,quod in Antarado vidi. Illic enim eadem vitis ter in anno producit vuas,& maturant omnes tempore ſuo,hoc quidem modo. Vinitores cùm putant vites,relinquunt tot palmites anni præcedentis,quot exiſtimant neceſſarios. Deinde poſtquam palmites nouos incepit producere, & botros paruulos, incidunt reſiduum de palmite, quod eſt ſupra botros,& proijciunt. Et id fit in Martio. In Aprili palmes inciſus ſupra botros pullulat,& producit alium palmitem cum nouis botris, quo viſo iterum præciditur de palmite quicquid eſt ſupra botros. In menſe Maio palmes iterum pullulat, & producit alium cum nouis botris, & ſic habentur tres ordines vuarum,quæ maturant hac lege. Quæ pullulauerunt in Martio, vindemiantur in Auguſto: Quæ in Aprili,vindemiantur in Semptembri: Quæ in Maio, vindemiantur in Octobri. Id autem non contingeret,niſi palmi-

Vites Antaradiæ.

tes illo

tes illo ordine inciderentur. In terra ſancta à feſto Pentecoſtes vſque ad ſanctum Martinum, uuæ maturæ inueniuntur, & continuè venduntur in foro. Ficus, mala granata, oleum, mel, pepones, citrulli Babylonici, melones & omnium generum legumina & frumentum optimum in Terra ſancta vberrimè colliguntur. Panem adeò ſapidum & delicatum non comedi, qualem in Ieruſalem. Sues ſylueſtres, lepores, capreoli, damæ, perdices, coturnices, quantum ibi abundent, penè eſt incredibile dictu. Leonum ibi eſt multitudo & vrſorum, diuerſorumque generum ferè, Cameli penè infiniti. Vidi Camelorum paſcentium gregem circa finem Libani iuxta Tripolin, in quo, vt dixerunt indigenæ, tria millia & plus continebantur. Vidi dromedarios plures, vidi Vnicornes, & vt verba non protraham, illic extant omnia mundi bona, & verè fluit terra riuis lactis & mellis. Soli cultores viles ſunt & mali, & adeò ſceleſti ac peccatores, vt mirum ſit, quin terra deglutiat eos, vt Dathan & Abyron. Certè ingemiſcendum eſt, quoniam ſanctum datum eſt canibus. Tu ſaltem pater æterne, ne obliuiſcaris dilectæ tuæ Ieruſalem, in qua mundi ſalutem operatus es.

Vis fructuum & ferarum.

DE DIVERSIS NATIONIBVS, HABITANTIBVS IN TERRA ſancta, ac earum moribus & ritu. Et primò de Latinis.

CAPVT II. §. I.

OMnis natio, quæ ſub cœlo eſt, nunc habitat in Terra ſancta, & quælibet viuit ſecundum regionem & ritum, prout elegerit. Inter nationes autem illic habitantes famoſiores ſunt iſtæ: Latini, Sarraceni, Syriani vel Syrichij, Græci, Armenij, Georgiani, Neſtoriani, Iameni, Nubiani, Chaldæi, Medi, Perſæ, Æthiopes, Ægyptij, Maronitæ, Madianitæ, qui nunc Biduini, Vhani, Parthi, Indi.

Terra ſancta epitome orbis.

DE

PRimò igitur de Latinis erit ſermo. Dicam verum coram Deo,& vtinam non ſic ſe res haberet. Confundor in natione noſtra,quoniam peior eſt vita & moribus cæteris habitantibus:& rationem mihi probabilem adducam,quam experientia firmauit, cùm illic eſſem. Cum aliquis in Alemania, Italia, Francia, Hiſpania,Dacia, Polonia, Vngaria, Anglia,& in alijs Occidentis partibus malefactor extiterit,qui ſecundum leges aut diuitijs aut vita priuari meretur, vel pro peccatis ſuis ſacrum ſepulchrum viſitare proponit, ſicut ſunt homicidæ, fures, aggreſſores, doloſi, proditores, inceſtuoſi, adulteri, voluptuoſi, terram ſanctam petunt. Sed proh dolor, cœlum mutant, non animum, qui trans mare tendunt. In terra ſancta moras protrahentes, quæ delicioſa nimis eſt,ocijs & gulæ & ludis vacant. Conſumptis autem pecunijs, quas ſecum adduxerant, cum crimina eorum non ferant regreſſum in patriam, eos noua acquirere oportet, & quoniam nullius honeſti artificij magiſtri ſunt, ſed vt otioſi ex rapinis & bonis proximi ventrem implere conſueuerunt, ad vomitum reuertentes, committunt peiora prioribus. Recipiunt hoſpitio peregrinos ex gente ſua, transfretantes gratia viſitandi ſanctiſsima loca: qui ſibi cauere neſcientes,credunt eis ſe & ſua,ſed fraudantur & decipiuntur.Maledicti iſti & prophani generant illic filios paternorum criminum ſectatores, & peiores, & ex his nepotes peſsimi generantur, & corrumpuntur,& abominabiles efficiuntur nimis, calcantes loca ſancta pedibus pollutis ac vita deteſtabili. Inde prouenit, quòd propter habitantium peccata apud Deum terra ipſa cum loco ſanctificationis veniat in contemptū. Deus mihi teſtis, quotiens Mahumetani obiecerunt hanc Chriſtianorum peſsimam vitam, & ego triſtis ac dolens tranſibam capite demiſſo, non valens tegere neq; excuſare huiuſmodi crimina.

Perditi Latinorum mores.

Saraſmi barbarorum.

DE SARRACENIS. §. 3.

SArraceni habitant in terra ſancta,qui Mahumeth prædicant, & colunt,legemq; eius obſeruant.Dominum Ieſum Chriſtum

Placita Mahumetana. maximum Prophetarum aſſerunt, & ipſum ex virtute Spiritus ſancti conceptum, natumq́; de ſacratiſsima virgine, confitentur, filium Dei eſſe concedunt, paſſum tamen & mortuum negant, ideo paſsionis loca derident. Dicunt, eum in cœlum aſcendiſſe, cùm tempus ſibi placitum aduenit, & ad patris dexteram ſedere Mahumeth prædicant Dei nuncium, ad ipſos tantùm miſſum fuiſſe, & ad Dei omnipotentis ſiniſtram ſedere. Iſti circa *Spurcities libidinum.* Venerea immundiſsimi ſunt, tot vxores ſibi copulant, quod nutrire poſſunt. Vitium contra naturam vt peccatum non æſtimant: ideò inuerecundè exercent illud, adeò quod loco lupanarium plærunq́; in vrbibus conſtituunt ephebos. Licet his ſordidentur, ſunt tamen hoſpitales multum, & curiales & benefici, iuſti & in promiſsis fideles. Obſequia multa ab eis accepi, etſi vel parum ſeruiatur eis, abundanter retribuunt. Inter eos nobiliores *Turcæ.* ſunt, & liberaliores, qui Turcæ nuncupantur.

DE SYRIANIS VEL SYrichijs. §. 4.

SYriani, qui & Syrichij appellantur, totam terram ſanctam repleuerunt. Chriſtianos ſe nominant: at Latinis fidem nullam ſeruant. Miſerrimè veſcuntur, & vilibus induuntur, auariſsimi *Sordes.* ſunt, nullas dant eleemoſynas. Ditiſsimus inter eos non melius nec magis delicioſe viuit, quàm pauper. Inter Sarracenos habitant, vt in pluribus officijs eorum funguntur. Et ſunt terræ procuratores. In habitu conformes ſunt Sarracenis, & non niſi cingulo laneo diſcernuntur.

DE GRÆCIS. § 5.

** Nempe Lugdunenſi altero, quod collocatur in annum Chriſti 1273.*

GRæci Chriſtiani illic ſunt, ſed ſchiſmatici, niſi quod pro magna parte in proximo generali concilio* ſub Gregorio Pontifice X. ad Eccleſiæ Romanæ obedientiam reuerſi ſunt, qui vtinam perſeuerent. Arrogantes enim, & nimis in oculis ſuis ſapientes apparent iſti, ſine dubio erroribus multis dicuntur inuoluti, quod tamen de omnibus non eſt verum. Apud Græcos Prælati omnes ſunt Monachi, & multæ abſtinentiæ ac mirandæ conuer-

ſationis

ſationis. Admodum deuoti apparent, Prælatos ſuos maximè venerantur & colunt. Audiui ego Græcorum Patriarcham, ſic dicentem: Sub obedientia Romanæ Eccleſiæ libentiſsimè, & manibus iunctis eſſe volumus, eamq; reuereri & honorare, verùm miramur ſatis, quòd compellimur nobis inferioribus, vt Archiepiſcopis & Epiſcopis, ſubeſſe: Quidam Archiepiſcopi volunt me Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Antiochenum Patriarcham compellere, ad offerendum eis obedientiam manualem & oſculandum pedes ſuos, ad quod non credo me obligari, cùm tamen id libenter obſeruarem erga Papam, Chriſti vicarium.

DE NESTORIANIS, IACOBITIS, GEorgianis & Maronitis. §. 6.

NEſtoriani, Iacobitæ, Georgiani & Maronitæ illic habitant, & Chriſtianos ſe aſſerunt. Iſti etſi à quibuſdam hæreticis denominati fuerint, qui fortè eorum fuerunt duces & eruditores, nunc tamen hæreſes illas non ſequuntur. Fui apud eos, ſcrutatus ſum eorum vitam & fidem, & in rei veritate, prout comprehendere potui, homines deuoti ac ſimplices ſunt valdè, continentes, ieiunantes, vilibus induti, tanti exempli, quod inter religioſos Eccleſiæ Romanæ ſimilia nunquam expertus ſum. In quadrageſima nec oleo nec piſcibus veſcuntur: In diuino officio deuotiſsimi, audientes maximo affectu Dei verbum. Vidi ego in ramis palmarum veſpertina hora multitudinem copioſam, cum vexillis multis de ciuitate exeuntem ad audiendum verbum Dei, illis in locis, in quibus vix creditur à noſtris Latinis eſſe aliquot Chriſti cultores. Omnes prædictæ nationes, pluresquè aliæ, quas ſcribere longum eſſet, quarum etiam nomina me latent, ſicut ab alijs plenè eruditus fui, Archiepiſcopos, Epiſcopos *Hierarchia*
Abbates, alioſq; Prælatos habent ſicut & nos, eiſdemq; nominibꝰ & titulis denominantur, excepto, quòd apud Neſtorianos Prælatus primus, qui eſt loco Papæ, Iacelich nuncupatur, cuius iuriſ- *Iacelich*
dictio in Oriente latius extendi à nonnullis dicitur, quàm tota *Neſtorianorum.*
occidentalis Eccleſia.

 DE

DE NVBIANIS ET IAmenis. §. 7.

NVbiani & Iameni terram ſanctam inhabitant, Chriſtianos ſe aſſerunt, & fidem ſuſcepiſſe ab Apoſtolo Matthæo, & quòd ab eodem baptizati fuere maiores ſui, qui per generationes tradiderunt modum baptizandi in igne. Dicunt enim, ſanctum Matthæum ſic patres ſuos baptizaſſe. Et hunc modum ſeruant, innitentes autoritati eiuſdem Apoſtoli, qui in Euangelio ſuo cap. 3. ſic ait: Ipſe, ſcilicet Chriſtus, baptizabit vos in Spiritu ſancto, & igne. Huic igitur dicto adhærentes ſecundum literam, & antiquæ traditioni patrum ſuorum, cùm baptizant, ferro ignito crucem faciunt in fronte vel facie. Hi in cœremonijs deuotiores apparent inter Orientales.

Baptiſmus ſtigmatic9.

DE MADIANITIS, QVI ET BIDVINI dicuntur, & Vhanis & Aſiſinis. §. 8.

νομάδες.

SVnt inſuper in terra ſancta, Madianitæ, qui & Biduini nunc apellantur, dantes tantùm operam alendis pecudibus & Camelis. Iſti certum aut firmum non habent domicilium, ſed vbicunq; comperiunt eſſe paſcua oportuna, illuc ſe transferunt cum tabernaculis, ex pellibus Camelorum confectis, & vxoribus, & filijs, & tota ſupellectili, conſumptiſq; paſcuis in vno loco, ad alium tendunt, & ſic vagi habitant in terra. Tales cùm ſint natura bellicoſi, non vtuntur niſi arcu, gladio & lancea. Veſtibus non vtuntur niſi pelliceo ſuper amiſſam lineam prolixam & amplam, caput tamen panno tegentes, vt mulieres citra marinæ. Vt in pluribus habitant circa Iordanis fluenta à Libano vſq; ad deſertum Pharan. Ibi ſiquidem extant herboſi montes pro capris & ouibus, ac virides campi pro camelis & bobus, irrigui aquarum copia non modò ex Iordane, ſed ex nitidiſsimis fontibus. In regionibus illis oues magnæ ſunt, & præcipuè arietes, habentes caudas adeò latas & longas, quod quatuor hominibus ſufficeret ad edendum. Neſtoriani habitant circa Berythum, quæ nunc Baruth dicitur, & circa Byblium, nunc Gibleth nuncupatum, in montibus Libani, contra Ithuream regionem. Maronitæ habita...

Oues caudæ ſpectabiles.

Neſtoriani

Maronitæ.

bitant contra fontem hortorum, qui oritur ſub humiliori parte Libani, vt deſcripſimus ſuprà, deſcribentes Tripolin. Hi in magna ſunt multitudine, dicunturq; habere quadragintà millia pugnatorum. Circa Arachas caſtrum poſt Tripolin habitant Sarraceni, cognomento Vhani, vſq; ad caſtrum Chato. Illic fœderati ſunt & vnici Sarraceni cognomento Aſsiſini vſq; vltra caſtrū Antaradum, iuxta caſtrum Maragd, habitantes. Vrbes habent & caſtella plurima, & terram admodum fertilem in montanis. Dicuntur ipſi habere quadraginta millia pugnatorū. Ducem habent non hæreditaria ſucceſsione, ſed prærogatiua, & excellentia meritorum, ac probatæ virtutis, quem nuncupant Senem de montanis, non pro ætate, ſed ex ingenij maturitate. Fama eſt, hos de Perſide traxiſſe originem. Ego pedibus meis pro maiori parte circuiui terram ipſorum. Obedientes ſunt vſque ad mortem, ex mandato Ducis, quemlibet interficiunt. Et in hoc beadituti nem ſe mereri dicunt, ac opinantur, ſi antequam obedientiam impleant, occidantur. Ante annos, numerum quorum neſcio, curârunt Eccleſiæ Romanæ obedire, & in Orthodoxa fide erudiri, Legatumq; pro hoc ſalutari negocio in Achon deſtinârunt. Qui omnibus ad vota ſucceſsis cùm remearet, à quibuſdam de templo Chriſtianis noſtris, inſidioſè peremptus eſt, ante regionis ingreſſum ſuæ, in iacturam & ſcandalum totius Eccleſiæ. Alij ſiquidem aduertentes fidem & charitatem non eſſe in Chriſtianis, pedem ab incepto retraxerunt. Terra & dominium eorum à terra Chriſtianorum lapidibus quibuſdam diſcernitur. Chriſtiani in lapidibus ſignum crucis inſculpſerunt, illi autem ſignum cubuli. Soldanus nullus hactenus domare eos potuit, ſed ipſi leges & iura ſibi condunt, quibus vt lubet, vtuntur: formidabiles ſunt omnibus circumſtantibus ex nimia eorum feritate.

Vhani.

Aſsiſini.

Senex de montanis.

DE ARMENIIS ET ALIIS INcidenter. §. 9.

SCire te volo, ſtudioſe Lector, pro rei veritate, etſi nonnulli oppoſitū ſentiant, aſſerere volentes, quæ nec ſciunt, nec viderunt, quòd totus Oriens vltra mare, vſque Indiam & Æthiopiam nomen Ieſu benedicti confitetur, prædicat & veneratur, præter

Vigor Chriſtianiſmi in Oriente.

Sarracenos & Turcos, habentes dominium in Arabia & Ægypto, qui Mahumeth obſeruant & colunt. Sicque pro certo aſſero, & teſtimonium de viſo perhibeo, & ab alijs, quibus notæ fuerunt regiones vltra marinæ, intellexi, quòd pro vno Sarraceno vel Mahumetano, triginta inuenies Chriſtianos. Verùm quia Chriſtiani vltra marini, vt Syrij, Armenij, Cappadoces, Chaldæi, Medi, Perſæ, nationeſque reliquæ orientales, bellicoſi non ſunt, nec armis dediti, cùm impugnantur à Sarracenis, vel Tartaris, de facili ſubijciuntur eis, neceſſeque eſt vt tributis pacem & quietam vitam emant. Sarraceni autem, vel alij, qui eos deuicerunt, aſſumunt dominium, Baliuos & exactores terris ſuis præponunt, & inde prouenit, vt tale vel tale dominium dicatur Sarracenorum, cùm tamen habitantes omnes ſint Chriſtiani, præter ſolos Baliuos præpoſitos, & exactores, aliquoſque de familia eorundem, ſicut oculis meis vidi in Cilicia, & Armenia minori. Apud regem Ciliciæ & Armeniæ, qui nunc Tartaris tributa perſoluunt, decem hebdomadis moras protraxi, erantque apud ipſos Tartari paucißimi, vt quinque vel ſex, qui verè eſſent Tartari, reſidui omnes de curia Chriſtiani, numero circiter quingenti. Hos vidi confluere, Miſſas audire, genua flectere, deuotißime orare: Quotiens & vbicunquè eis occurri cum ſocio meo, vel in via, vel in regia domo, nos maximè honorabant, deuotè ſe inclinantes, ſalutantes, & nobis tranſeuntibus aſſurgentes. Armeniorum ſummus Prælatus Catholicos nuncupatur. Fui apud eum diebus quatuordecim. Sibi aßiſtebant Archiepiſcopi, Epiſcopi, pluresque alij Prælati. Erat in victu, & veſtitu, & conuerſatione tanti exempli, quod ſimile non vidi nec in religioſo nec in ſeculari. Et pro certo hæc dico, quòd omnes veſtes, quibus indutum vidi, non excedebant precium vnius floreni, cùm tamen munitißima caſtra, redditusque maximos habeat, &que quaſi infinitæ rei familiaris diſpenſator. Vtebatur pelliceo arietino groſſo cùm manicis amplis. Sub eo erat tunica coloris griſei, iam antiquata. Deſuper erat ſcapulare & pallium, vtrumque nigrum, non ſubtile quidem, ſed aſperum velut cilicium. Regem Armeniæ vidi cum omnibus optimatibus ſuis, excepto ſanctißimæ Annunciationis feſto. Et

Armeniorum regnum.

Catholic.

tunc me

tunc me præſente Catholicus cum Rege diſpenſauit, vt piſces comederet, ac vinum biberet. Eodem ſolenniſsimo die interfui eorum Miſſæ coram eodem Catholico, & Rege & Regina, habentque officium deuotum valdè. Epiſcopi & ſacerdotes cùm celebrant, induuntur veſtibus altaris, quæ penè conſimiles ſunt noſtris, vt caſula, ſtola, manipulo, camiſia & cingulo, atque ſupercapitali. In azymo conficiunt, & eiſdem verbis ſicut nos, eaſdem epiſtolas, eadem euangelia, præfationes, Sanctus, Pater noſter, Agnus Dei in Miſsis decantant, ſicut & nos, in ſuo tamen idiomate. Habent enim linguam vulgarem, propriam & literalem. Catholicus, omneſquè eius Prælati inferiores, Monachi ſunt. Soli enim Monachi in toto Oriente, & in quacunquè natione, Prælati eſſe poſſunt. Et certè in maximo honore ac reuerentia habentur. Sacerdotes ſeculares & Clerici nullius ſunt auctoritatis, nec æſtimationis apud laicos. Officium nullum habent, niſi quòd diuina celebrant. Ad omnes horas conuocant populum cum tabula, ſicut nos in paraſceue: non enim campanis vtuntur. Peracto ſigno in nocte ad matutinas, vadunt per vicos, voce alta inuitantes populum ad officium. Poſt matutinas non dormiunt, ſed in Eccleſia ſedentes, vſque ad auroram populum docent. Clareſcente die, primam dicunt, inde Miſſam celebrant, vel circa horam tertiam in die feſtiuo. Monachi in eorum idiomate Vatrapetæ dicuntur. Sacerdotes ſeculares vxorem ducunt: Neque permittitur aliquis ſacerdotium aſſumere, qui vxorem non duxerit. A die Lunæ vſque ad diem Veneris, etiamſi ſit præcipuum feſtum, Miſſam non celebrant, vt matrimonio licitè vacare poſsint. Sabbatho verò & Dominica deuotiſsimè celebrant. Mortua ſacerdotis vxore, ſacerdos continebit, nec aliam ducet. Si fornicatus fuerit, vel adulteratus, officium & Eccleſiam indiſpenſabiliter perdet, nec cum ipſo diſpenſari poterit. Si vxor eius adulterata fuerit, Sacerdos ſimiliter continebit, aut officium & Eccleſiam perdet, vt ſuprà. Vxor verò adultera naſo abſciſſo dehoneſtatur. Si quis cum ea concubuerit etiam vxoratus, caſtrabitur. Idquè peractum eſt me præſente. Mortuo ſacerdote, vxor continebit. Si contraxerit, igne cremabitur. Si ſe vt meretrix proſtituerit, nil ma-

Ritus ſacrorum.

Honor Monachatus.

Matrimonia Clericis licita.

li patie-

li patietur. Hoc ſæpius accidit,nouumq; conſtitutum eſt apud eos. Omnes ſacerdotes, ſecundum Apoſtolum virginemducunt vxorem.Diſcernuntur à vulgo panno albo,quem humeris & collo circumdant. Fures minora furta committentes, quibus non merentur ſuſpendi, alijque malefactores committentes minora crimina, caſtrantur, ne filios generent paternorum criminum imitatores. Et hac de cauſa in terris illis plurimæ ſunt meretrices: vxores enim talium continere nolentes, proſtituunt ſe inuerecundè. Multi ſiquidem ibi ſunt Eunuchi, ac nobilium dominarum famuli. Regina Armeniæ, cùm eſſem apud eam, plures quàm 60. habuit Eunuchos, nec vllus ad eam ingreditur vir, niſi ſingulari Regis licentia, qui & Eunuchum nomine proprio aſsignat, vt ingredientem conducat & reducat. Idem ſeruatur circa nobiles mulieres vxoratas & viduas. Reges principesq; nobilesq; ardẽti animo audiunt diuinos ſermones: propterea ſingulis diebus hora diei tertia Vatrapetæ Regis aut alterius principis curiam adeunt, ad quos ſtatim accedunt principes & domini cum filijs ac potentibus ſuis, afferturq; liber aliquis ſacræ Bibliæ, legiturq; in vulgari ſuo, & à Vatrapetis textus exponitur. Seculares quando dubia proponnũt, ſuper huiuſmodi à Vatrapetis inſtruuntur, & quæſtiones per ſanctorum expoſitiones ſoluunt. Interrogatus à me Catholicus, quos præcipuè doctores ſequatur, reſpondit, Iohannem Damaſcenum, Iohannem Chryſoſtomum, Gregórium Nazianzenum, Cyrillum & Effrem. Clerici & Laici, in Eccleſia deuoti admodum nihil ibi operantur, niſi orare, legere, diuina celebrare vel audire. Nunquam conſpicies in Eccleſia ridentem vel vagum, aut diſſolutum, cuiuscunque nationis exiſtat. Cœremonialia Miſſæ deuotiſsima ſunt apud eos. Calix ad ſiniſtram altaris in pariete in loco ornatiſsimo reponitur, quem ad offerendum Diaconus cum panno ſerico precioſiſsimo reuerenter leuat ſupra caput ſuum, præcedente Subdiacono cum thuribulo, & acoluthis, accenſis cereis, & retrocedentes gyrant altare vſq; ad dexteram. Tunc Epiſcopus calicem paratum ſuſcipit, & offert in altaris medio, ſicut ſacerdotes noſtri. Infra Canonem poſt ſacerdotem quo ſtant, accenſos cereos tenentes: Iuxta quos duo tenentes thuribula, albis induti. Diaconi duo ſtant in lateribus altaris à dextris & ſiniſtris, comploſis manibus deuotè

Animaduerſio in facinoroſos.

Religioſa pietas.

Doctores.

Miſſa.

adorantes,

adorantes, verſis vultibus ad Chriſti corpus, veluti duo Cherubim reſpicientes verſis vultibus in propitiatorium. Et cantant melodiam quandam, certè deuotam & dulcem alternatim ſibi inuicem reſpondentes, & id quidem deuotiſsimum eſt audire ac videre. Plura alia in regionibus illis vidi in laicis & Monachis & Clericis commendabilia, quæ vix in terra noſtra fieri creduntur. Tranſiui totam terram illam vſq; Cappadociam & Seleuciam maritimam. Inde nauigaui Cyprum, & veni Salaminam, & perambulaui pro magna parte regionem. Inde nauigaui in Syriam, & veni Tyrum, & poſt dies aliquot inde nauigans per littus Palæſtinæ, ſiue Philiſtijm, pertranſiui Caipha, montem Carmelum, Doram, Cæſaream Palæſtinæ, Antipatrida, Ioppen Iamiriam, Accaron, Azotum, Aſcalonem, Gazam, deſertum arenoſum. Denique perueni ad oſtia Nili: & ibi incipiam deſcriptionem compendioſam Ægypti, vt propoſui.

COMPENDIOSA DESCRIPTIO ÆGYPTI.

CAPVT III.

PRima vrbs ſuper oſtia Nili ſita, quam primo reperi, Pharma nuncupatur, fortis quidem & optimè ædificata, ſed in ea habitator non eſt: ſerpentes namq; & horridi vermes poſſederunt eam. Ex Pharma vſq; Taphnim 20. mediant leucæ. Hæc eſt, de qua inquit Ezechiel cap. 30. Et in Taphnis nigreſcet dies, cùm contriuero ibi ſceptra Ægypti. Hæc eſt terra Geſſen, quàm habitârunt Iacob & filij, eo quòd eſſent ouium paſtores. Sic enim impetrârunt à Pharaone, vt legimus Geneſ. cap. 47. Petimus vt eſſe nos iubeas ſeruos tuos in terra Geſſen. Ex Taphni vſque Memphim 17. mediant leucæ. In hac vigebant oracula & vaticinia. Inde proceſſerunt Memphitici vates. Contra eam clamat Ezechiel cap. 30. Et diſperdam ſimulachra, & ceſſare faciam idola de Memphis. Scias autem & Taphnin & Memphin antiquitus egregias fuiſſe, nunc autem penitus defecerunt. Pauci

Pharma.

¶ *Meminit Chronicon Hieroſol: lib.12.c.25. & Pharamiam nominat.*

Geſſen.

Beduini. Beduini, de quibus actum eſt ſuprà, in ruinis eius habitant, propter paſcua,& vbertatem regionis. Sunt enim & ipſi paſtores.

Damiata. Memphis nunc Damiata dicta eſt, & ipſa defecit quaſi ex toto. Verùm Sarraceni conſtruxerunt illic caſale, longum quidem ſed immunitum & vile, vt naues locarent, merces colligerent. Fructibus, frumento, piſcibus, & reliquis ad victum pertinentibus, abundant, ſicut in Taphni. In Occidentali eius parte inter illud, & Damiatam antiquam, ſeparatur riuus vnus Nili ex ſuo proprio alueo, & decurrit contra Aquilonem in Taphnis. Inde per fretum, quoddam Baiera dictum, vſq; Pharmam, & ibi mare ingreditur,& illic vnus eſt portus Ægypti verſus Terram ſanctam. Riuus verò Nili maior ad duas leucas ex Damiata intrat mare, & hic eſt Ægypti portus ſecundus. Tertius verò portus eſt in Alexandria, vbi Nili pars mare ingreditur, qui locus diſtat à Pharma per 230. milliaria. Et hæc Ægypti longitudo iuxta mare ex Alexandria, vſque in Babyloniam ſunt 230. milliaria, per fluuium Nili aſcendendo ex Babylonia vſque Syenen, quæ eſt pars vltimæ Ægypti. Contra Auſtrum & Æthiopiam

Nubia. milliaria ſunt 240. Hæc Æthiopia Nubia propriè dicitur,& tota eſt Chriſtiana, cui Apoſtolus Matthæus prædicauit. Huius Æthiopiæ Regem captiuum vidi. Cùm aſcenderem ex Damiata per Nilum fluuium verſus Babyloniam, veni in Abdela, inde Naſotam, quo in loco Nilus partitur, tenditq; minor riuus ſupra ſuperius fretum iuxta Pharmam, & iungitur illi, qui illic mare ingreditur, vt dictum eſt ſuprà. Inde iuxta villam optimam, Semenach nuncupatam, ſeparatur iterum alius riuus, & hic eſt tertius, tenditquè contra Auſtrum, ingrediens mare iuxta villam Phatures, ſed innauigablis eſt. Item in aſcendendo, antequam deueniamus in Phiron & Rameſſes, ſeparatur riuus quartus, tendens contra Auſtrum, mare ingrediens iuxta villam, Striuon nuncupatam. Inde ab ipſo riuo vſque Phiton & Rameſſes ſunt quinquè leucæ. Sitæ ſunt hinc inde ſuper riuum ipſum,& admodum opulentæ. Inde ad 30. milliaria locus eſt,

¶ Fuſius de hac regione legimus in calce Appendicis ad Haythonum.

Delta. Græcè vocatus Delta: Illic ſiquidem Nilus diuiditur, in diuerſa fluens, & totam Ægyptum efficit inſulam, ad inſtar literæ Deltæ triangulam. Defluitquè riuus maior contra Alexan-

driam,

driam, alter autem in Damiatam, vt dictum eſt. Ecce habes quinque Nili riuos. Ex Delta vſque Heliopolin tria ſunt milliaria, & hinc recedit ſextus riuus, qui tendit contra Aquilonem vſque ad vrbem plebis, quæ quondam Peluſium dicta fuerat. Inde tendit per deſertum verſus Terram ſanctam, ac mare ingreditur verſus vrbem Laris, à qua mare illud Lariſe Gulphus nuncupatur. Inde ſunt ferè duæ dietæ vſque Gazam & Berſabee. Riuus iſte in ſcriptura ſacra propriè dicitur torrens Ægypti, eratq; in ipſo terminus ſortis Iudæ, vt legimus in libro Ioſuæ, cap. 15. Dicitur autem Rhinocorura, à quibuſdam verò Syor, & eſt innauigabilis. Heliopolis eſt opulenta & diues, ſed immunita: omnes enim villæ in Ægypto immunitæ ſunt, ſola Alexandria & Babylonia fortes & munitæ ſunt. Heliopolis omnibus mundi delicijs abundans eſt. Caſsia fiſtula in magna quantitate ibidem creſcit. Inde ad ſex leucas eſt Babylonia admodum grandis, optimè munita, ſita ſuper Nilum in littore eius aquilonari. Tranſit tamen riuus vnus Nili per medium eius, & per Kayrum, reuerriturq; ad riuum principalem in Kayro. Ex Babylonia ad quinq; leucas ſunt Pyramides triangulæ ſublimes, quæ creduntur fuiſſe horrea Ioſeph. Et iuxta illas ruinæ ſunt ciuitatis Thebæ ad duas leucas. Ex hec fuit Thebæorum legio cuius primicerius fuit Martyr Chriſti Mauriciu. Thebis adiacet Monachorum multitudo. Supra Babyloniam Nilus habet tantum riuum vnum vſq; Syenen per milliaria 230 Et inde vſq; Meroên ſunt ſtadia octingenta. Syene ſub tropico æſtiuo ſita eſt. De hac loquitur Ezechiel. cap. 29. Dabo terram Ægypti in ſolitudine, gladio diſsipatam à turre Syene vſq; ad terminos Æthiopiæ. A Syene ſumitur vmbra in primo gradu Cancri. Meroê tunc proijcit vmbram contra Auſtrum. Ortus Nili inueſtigari non poteſt vltra montes Nubiæ, per quos deſcendit, nec vltra eſt locus meabilis, referentibus mihi Nubianis. Terra Agypti ferè inacceſsibilis eſt: ab occidente enim habet mare magnum, & ſic non eſt acceſſus niſi nauibus. Contra Africū eſt deſertum Libyæ, quod in longitudine & latitudine dietas plures continet: ab Auſtro eſt deſertum Æthiopiæ per 15. dietas & plus vſq; Nubiam: ab

Peluſium.

Rhinocorura.

Babylonia.

Kayrum.

Pyramides

Fontes Nili.

Oriente eſt deſertum Thebaidos vſque ad mare rubrum per tres dietas vſque ad locum, Bethonice dictum, & eſt Ægypti portus in littore maris rubri pro nauigantibus verſus Indiam. Contra Vulturnum & Septentrionem eſt deſertum magnum vſq; ad terram ſanctam, in quo filij Iſrael poſt egreſſum ex Ægypto 40. annis commorati ſunt. Et dixerunt mihi Sarraceni & Chriſtiani, exiſtentes in Ægypto, quòd amplius quàm trecenta millia Chriſtianorum ſunt in Ægypto, & Eccleſiæ & clauſtra multa. In Babylonia & Kayro ſunt Eccleſiæ 40. & plures, quas etiam orationis cauſa ingreſſus ſum. Eſt Ægyptus populoſa valdè. Sarraceni tamen dominium obtinent, ſed plurimum timent Biduinos, de quibus actum eſt ſuprà. Turci verò, ſiue Turchomanni, ſuperiores ſunt, eo quòd Soldani diebus multis fuerunt ex gente illa. Ægyptus ferè eſt Triangula, duobus lateribus æqualibus, & vna breuiori. In tribus angulis huius trianguli ſituantur vrbes infrà ſcriptæ: Laris, Babylonia, Alexandria. Voluit autem Ægyptus in gyro ex Laris per Babyloniam vſque in Alexandriam 950 milliaria. Ex Babylonia verò vſque Syenen, & inde vſque Meroën, etſi longitudo ſit magna, latitudo ferè tamẽ nihil eſt. Eſt enim aſcenſus per Nilum habens hinc inde altiſsimos montes. Regia illa penitus eſt derelicta, præterquam ſuper fluminis ripas. Ægyptus optimæ eſt habitationis, aër ſalubris, cibi conuenientes, & temperatior eſt Syria ac Palæſtina, & tamen ex locorum ſitu deberet oppoſitum iudicari.

Chriſtiani Ægyptij. *Dominatus Soldanorũ Turcicorũ* *Temperies Ægypti.*

DE HORTO BALSAMI IN ÆGYPTO.

CAPVT IIII.

INter Heliopolin & Babyloniam medio ferè loco eſt Balſami hortus, de quo actum eſt ſuprà, longitudinis iactu duorum arcuum. Latitudinis autem iactu lapidis, habens terram ferè albam. In feſto ſancti Michaëlis cùm illic perueniſſem, balſami lignum ſatis humile exiſtebat, ſcilicet palmæ & dimidiæ in altitudine

titudine, habens folia paruula, vt ruta, ſed parum albiora, & de ligno mecum detuli. Modum colligendi Balſamum cultores ſic mihi oſtenderunt: Diſcerpebant foliorum vnum ex ſtipite: adhærentem enim ſtipitem habet. Diſcerpentes autem folium ex ſtipite contra Solem, ſtatim gutta lucidiſsima & odorifera ex ruptura egreditur. Et hic eſt Balſami liquor, qui in vitreis phialis congregatur. Quod ſi folium diſcerperetur alibi quàm contra ſolem, liquor non flueret. Rigatur hortus ille ex paruulo fonte, ſed vbere, in quo fama eſt Beatam Virginem Ieſum paruulum pluries lauiſſe, panniculoſquè eiuſdem mundaſſe, cùm eſſet in Ægypto propter metum Herodis. Eſt & ibidem lapis, ſuper quem dicitur eoſdem exſiccaſſe. Et hæc omnia venerantur à Chriſtianis & Sarracenis. Verum quia fons Ieſu paruulus eſt, non ſufficiens irrigationi totius horti, Sarraceni alium profundum foderunt iuxta illum, ex quo quatuor boues per rotam aquam extrahunt, ſperantes ex vicinitate fontis Ieſu aquam alterius fontis fore virtuoſam. At ſe deceptos aduertentes, conſtruxerunt canale, per quod transmittunt aquam illam in fontem Ieſu, vnde ſic ex eis mixtis fœcundaretur hortus. Nec eos fefellit opinio. Nunc enim ſufficienter & virtuoſo fœcundatur ex aquis ſic mixtis. Eſt præterea aliud mirabile illic, & atteſtans Chriſtianæ fidei. A meridie Sabbathi vſque ad ortum Solis diei Lunæ, boues ceſſant aquam extrahere, etſi verberantur acriter, etiamſi in fruſta inciderentur, non laborarent. Id oculis meis vidi, cùm tamen non deficeret ſufficiens teſtimonium Chriſtianorum. In hoc fonte Ieſu benedicti laui corpus meum. Sarraceni pariter ſe lauant & Chriſtiani. Sarraceni quendam deterrimum fœtorem habent, à quo non poſſunt mundari, niſi baptizentur, & præcipuè in fonte illo. Vnde pueros ſuos ac ſeipſos baptizant, non vt Sacramenti virtutem conſequantur, ſed vt fœtorem abolere valeant.

Opobalſamum.

Documentum Chriſtianiſmi in bobus.

Sarraceni hircoſi.

MIRACVLVM OMNINO STVPENDVM DE RELIQVIIS Diui Baptiſtæ.

CAPVT V.

λείψανα Iohan. Baptiſtæ.

IN Babylonia eſt monaſterium ſub titulo Diui Baptiſtæ, in quo ſeruantur reliquiæ quædam eiuſdem Baptiſtæ, in capſula honorificè. Conſuetudo eſt in eiuſdem feſto non modò Chriſtianis, ſed & Sarracenis, qui Diuum Iohannem plurimum venerantur, monaſterium frequentare. Aſſumunt igitur cum Chriſtianis capſulam illam, ac deponunt in naui, tranſportantes per Nilum ad monaſterium aliud, ſub titulo eiuſdem ſancti conſtructum. Deſcendunt autem per Nilum quinq; leucis. Poſtquam verò Miſſa decantata fuerit, ponunt capſulam in flumine, probare volentes, an beatus Ioannes velit reliquias ſuas illic permanere, vel ad locum priorem reuerti. Sed mox in oculis omnium capſula contra impetum Nili, qui vtiq; ſatis impetuoſus eſt, adeò velociter currit, & ad locum ſuum reuertitur, quòd nec qui in equis currunt, valeant præuenire. Id retulerunt mihi Chriſtiani & Sarraceni bona fide.

Peroratio.

Peractis per decennium his longis & certè laborioſis peregrinationibus (Nam non niſi naui vel pedibus tot regiones peragraui, quærens & ſæpè mendicans extrema victui neceſſaria) incepi corpore graueſcere, tum propinquante ſenectute, tum arduis laboribus perpeſsis. Quas ob cauſas ſtatui gradum ſiſtere, nec vltra proficiſci. Erat enim mens etiam vltimos adire Indos. Reuertendum igitur mihi perſuaſi in propriam patriam, vbi in reſiduo vitæ meæ ac ſenectute quieſcens, quæ oculis vidi fidelibus enunciarem, ac poſteris deſcribens, æternam rei memoriam relinquere poſſem. Quod conceperam, Deo clementiſsimo fauente, aſſecutus ſum. Tibi honor, tibi gratiarum actio beatiſsima Trinitas.

AMEN.

Liber

Liber deſcriptionis Terræ ſanctæ, eidemque adiacentium regionum, editus ab eruditiſsimo & deuotiſsimo patre ordinis Prædicatorum, Profeſſore, Borchardo Alemano, explicit.

Itinerarium Hieroſol:

BARTHOLOMAEI DE SALIGNIACO, EQVITIS ET IVRECONSVLTI GALLI:

PRAEMISSA eiuſdem Oratione de laudibus Terræ ſanctæ.

ANNO

M. D. LXXXVII.

ORATIO
D. BARTHOLOMÆI DE SALIGNIACO, APOSTOLICAE SEDIS PROTONOTARII, ET EQVITIS AVRATI,

de laudibus inclytæ Terræ ſanctæ, quæ procemij loco eſt in Itinerarium terræ promiſsionis, rerumq; ſacrarum inibi deſcriptionem.

INTER RELIQVA, QVIbus oblectatur mens humana, velut ſingulare eſt, conditi à Deo orbis contemplatio, inibiq; contentarum rerum cognitio. Vnde Salomon ille ſapientiſsimus veraciter dixit: Cunctæ res difficiles, & non poteſt eas homo explicare ſermone: non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Et Philoſophus ille inſignis Stagirita affirmat, quo loco ſummam Philoſophiam miro ingenio aggreditur, quod ſenſus viſus atq; auditus magis diligimus, quia multarum rerum nobis differentias oſtendunt. Sed & regius ille Propheta Dauid, ſuetus in æthereos ire meatus, ſuper vniuerſi mira contemplatione exclamat: Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Verum enimuero id licet longè lateq; pateat per orbem terrarum, nec ſit omninò vſpiam

Contemplatio naturæ.

quid loci aut rei, quod non Dei optimi maximi poten-tiam, ſapientiam, bonitatem, clarè oſtendat, ſingulariſſi-

Terræ ſan-ctæ ἐξοχή *mè tamen in terra illa, quam ſanctam meritò vocamus, terra, inquam, diuinæ promiſſionis, clarius viſitur: quip-pe in qua propter tot excellentia dona naturæ, infinita propè humanæ ſaluationis myſteria commonſtrantur, vt indignum planè ſit ea, mortalium latere memoriam, quin potius pro naturæ oblectamento, & pro amoris in De-um augmento, digniſſimum eſt in multorum notitiam*

Auctoris peregrinatio Hieroſol. & inſtitutum. *propagare. Mihi ergò nuper in Anno Domini 1522. à longiſſima & laborioſiſſima peregrinatione in Galliam reuerſo, viſum eſt operæ precium fore, ſi regiones, ma-ria, flumina, montes, vrbes inſignes, & cætera omnia, quæ vidi, in commentariolum redigerem, quo me oblecta-rem, memoriaq́; tenerem, ac amicis meis (ne ſæpè idem narrare cogerer) quanquam incultum, inornatumq́; le-gendum exhiberem. Nam à cunabulis mihi innatus con-creuit affectus, vel proprij quippiam, vel alieni molimi-nis in communem frugem referre. Proinde in præſen-tia ſcriptis iuuabor prædeceſſorum, quoad noſtris, ſi quæ forſan obtinget ratio, lucem accipere liceat. Inter hæc ſi quid rari, ſi quid noſtratium, ſi quid (vt aiunt) non tri-uiale in manus incidat lectu dignum, pro mea virili promere conabor, & in hoc commentariolum aceruare. In quo quaſi facto periculo, pleniter confido complexu-rum me, quantum ad ritus ac mores fidei attinet, deſcri-ptionem terræ ſanctæ, Indiæ, Siriæ, Mauritianæ, Ara-biæ, Armeniæ, Georgiæ, Turquiæ, Cretæ, Cypri, Alba-*

niæ, Ce-

*niæ, Cephaleniæ, Sclauoniæ, * Friolæ & Iſtriæ, quæ futura ſit amœniſsima audientibus, legentibus vtiliſsima. Porrò ne qua hæſitatione corripiaris, Lector candide, teſtor Deum, humani generis Saluatorem (cuius vnico amore has regiones peragraui) nihil me inſeruiſſe, quod non oculis ipſe viderim, aut diligentiſsima perueſtigatione, narrationeq́; fideli, fuerim ſciſcitatus. Cæterùm, quoniam omnis ordinata deſcriptio certum principium petit, quo rei ſumma facilius imaginatione concludi poſsit, ſit narrationis ſcopus iſte: Itinerarij in Terram ſanctam breuis ac fidelis deſcriptio, in qua nec dubia, nec nænias, aut ſermones gerris (vt dicitur) Siculis vaniores, ſed vera, ſancta, experta complectar, non pomposo verborum faſtu, ſed ſimplici & intelligibili ſtylo, quibus fides indubia, citra periculum veritatis, poſsit & debeat adhiberi. Id vnum, benigne Lector, oratum te velim, ſi in hoc opuſculo quid incultum comperias, boni conſule, errorem corrige. Si quid à ſenſu & experientia tua alienum legeris, vt eſt de ouibus Cypri, de pomis Palæſtinæ, de piſcibus volantibus, & mille ſimilia, non mox naſum ſuſpendas, non dentē acuas Theoninum, qui nunquam fortè limite paterno pedem extuleris, credens nuſpiam, niſi in horto materno, braſsicam creſcere. Noris autem vel vnam, ſi reliqua ignores omnia, Catalepſin hanc Virgilianam:*

non omnis fert omnia tellus
India mittit ebur, &c.

* Forum Iulij dicit, quæ Italiæ regio eſt, nomine illo, è vulgari enunciatione, deprauato.

Operis argumentum

Cautio.

Quo dicto, miſſis ambagibus, commentariolum hoc noſtrum, nuſpiam antè impreſſum, vel ſcriptum aggredior, omnia quæ peregrinantibus commoda fore iudicauero, ad amußim narraturus, vt legentes diuino pneumate duce Terram ſanctam viſitaturi, primum mente, deinde oculis ſacrum iter contineant. Ne autem ignotas prædas ſequi aut nodū in ſcirpo quærere videar, res minimas, & quadrantū ſcrupos longius ablegabo. Principiò ergò Hieroſol: petiturus, Chriſtiane frater, myſteriorum humanæ ſalutis purum amorem corde concipe, per quem dignus quoquo modo fias terram illius pedibus calcare, in qua tot ſunt geſtorum Dei & Chriſti loca inſignia, vt his narrandis ne dicam perluſtrandis, nec dies nec ætas ſufficeret homini Chriſtiano. Sunt præterea quàm plurima in regionibus illis, quæ pijs animis mirum generant deuotionis affectum. Quis enim etiam facundißimus valeat enarrare, quot Anachoretæ, quot Cœnobitæ, quot Monachi Solitarij, quot caſtißimæ virgines de Armenia, Georgia, vtraq; Chaldæa, Syria, Perſide, India, Æthiopia, Media, Nubia, Nabenia, Græcia, alijſq; nationibus, centeni, ducenteni, plures pauciores ſúe procedunt in ſpiritu vehementi, loca incolunt ſancta, peregrinantur, flectunt genua, manus in ſublime tendunt, oculos leuant ad ſydera, terram ſanctam proni oſculantur, imò verius præ cordis dulcedine lambunt, adorant quemcunq; locum, quo clementißimum Ieſum ſediſſe, ſtetiſſe vel quippiam operis egiſſe percipiunt. Nunc palmis pectora tundunt, nunc profundos gemitus emittunt,

Παραίνεσις religioſi peregrinatoris.

Terræ ſanctæ hodierni incolæ.

tunt, nunc in profuſos fletus ſe ſoluunt, adeò vt indicibilem amorem ſe corde concipere facilè oſtendant, & plerunq; in lachrymas Sarracenos & Turcas, durum hominum genus, commoueant. Quo loco quis hæc videns non præ mæſtica cordis indoleat, terram illam infidelium tyrannide premi, quæ tam optimo iure Chriſti fidelibus debeatur? Heu fortiſſime Deus, intueor iuxta ſacras hiſtorias patrem Abraham, relictis patre, patria, domo, cognatione, tuo mandato ad hanc terram properare, in Bethel & Hai tabernacula figere, in Geraris, Berſabee, & Hebron commorari. Lego Iſaac, piam victimam & faſciculi myſticum portatorem, hic figurare crucis myſterium, hic meditari in agro. Iacob cœli contemplator, poſt longæuas gregum vigilias ditatus vxoribus & prole hanc repetit, ſcalam in cœlum leuatam ſuſpicit, caſtra Dei dinumerat, luctatur cum Angelo. Moyſes ille piiſſimus magnæ felicitatis loco duxit, poſt vaſtæ ſolitudinis labores terram hanc ſanctam, monſtrante Deo, à longe ſpeculari. Ioſua ille victorioſus hanc vltra citraq; Iordanem menſus eſt victori populo duodecim tribuum in funiculo diſtributionis. Tam ſanctiſſimæ terræ gloriam, florentibus regno & ſacerdotio, lege & Prophetia quis queat enarrare? Nonne vnius regis contemplatio reginam illuſtrem, vt Hieroſolymam iret, à ſuis ſedibus euocauit? Nonne vnius templi tam inclyti magnũ per orbem præconium à varijs regnis reges incitauit? Quid mirũ, ſi pro hac vindicanda terra priſci patres tot pia ſuſpiria emiſere? Ezechiel in Babylone captiuus per flumen aſcendit, vt repetat dilectam

Priſca dignitas.

Hieruſa-

*Hieruſalem, lachrymabili voce perorans. Daniel poſt-
habitis regiæ aulæ delicijs, ſolam terram ſanctam me-
ditatur. Ieremias ſanctiſſimæ Solymæ excidium qua-
druplici plangit Alphabeto. Iam præſente in carne Dei
filio, quod decus, quæ gloria terræ ſanctæ accreuerit,
quæ mens concipere, quis calamus ſcribere, quæ lingua
poſſet earare? Quid mirum, ſi huc huc concurrant de-
uotæ Deo animæ, & veluti innocui greges in paſcuis
vberrimis pio Chriſti amore laſciuiant? Sed & ipſa vir-
go Deipara, deſertis ſpecioſis campis Galilææ, nunc ſa-
lutationis ſuæ domunculam læta reuiſit, nunc ſuauiſſimi
partus incunabula repetit, & Bethlehem anguſtam vir-
ginea voce ſalutat. Inde montana Iudææ, præcurſoris*
Votum. *lætum ortum viſura, feſtino greſſu pertranſit. Hic ergò
vel viuere libeat, vel liceat mori, id quod ſanctiſſimi Pa-
tres, Patriarchæ, Reges, Principes, Prophetæ, Sacer-
dotes, ſummi beneficij loco duxere, ſi poſt multas pere-
grinationes, exanimia corpuſcula terræ ſanctæ gremio
ſepulturæ fuiſſent mandata, ideoq; id poſteris ſuis vt age-
rent, jurejurando ſanxere. Verùm hac noſtra tempeſta-
te quàm larga & iuſta doloris materia vobis affertur,
videntibus Chriſtianorum principum t.rditatem, qui-
bus libet inter ſe cruentis bellis dimicare, & terram il-
lam ſanctam Tyrannis permittere, quam Ieſus, mundi*
a Exhortatio ad Reges & Principes [illegible] *Saluator, ſuis dedicauit myſterijs, ſuo ſaguine conſecra-
uit, quam orthodoxa fides indefeſſè prædicat & extollit.
a Doleat vobis tandem, ô Reges & Principes, Chriſti
cauſa efferte ſigna, conſcribite militiam, nec quicquam
diſſidite*

diffidite vos victoria potituros. Cui enim non libeat Chriſtiano arcum tendere, enſem vibrare, excutere lanceam pro illa terra, in qua pius Ieſus concipitur, naſcitur, enutritur, ambulat, prædicat, Paſcha celebrat, ſacramenta inſtituit, patrem orat, Angelico miniſterio animatur, patitur, moritur. Teſtor piam Chriſti crucem atq; adeò Euangelium ipſum, horum omnium tam recentem ac plenam in locis ſacris extare memoriam, vt hodierna luce omnia contigiſſe credas, candide Lector. Properas ad Caluariæ montem, quo Ieſus geſtata pijs humeris cruce, qua vtrumq; hemiſphærij molem ſacrauit, credas eo ipſe die peragi paßionis myſterium. Accedis ad ſepulchrum, mirum dictu, quantus amor mentem accendit, quàm dulciſsimus odor occupat nares. Quid ergò mirandum, ſi cultores veriſsimi nominis Chriſti terram illam, nomine ac re ſanctam, videre, ac luſtrare totis animis affectant, quam Catholicæ Eccleſiæ diu noctuq;, pſalmis & hymnis decantant? Plato Ægyptum, Pythagoras Memphiticos vates, Apollonius Perſas adeant: pertranſeat hic Caucaſum, præterea Albanos, & Scythas & Maſſagetas, penetret Indiam, miretur Hiarcham, aureo throno reſidentem, repetat Ægyptum, contempletur menſam Solis in ſabulo, Cæterum tu Chriſtiane frater pete Venetias, tranſi mare tuto nauigio, trajce in Aſiam, in terram ſanctam, aſcende Ioppen, Ramam, ſacroſanctam Solymam ingredere, tranſi cum paſtoribus in Bethlehem, Nazareth venerare, præſepium, ſepulchrum exoſculare, vbiq; mirare, arcanum

παθοποιΐα.

Agit exemplis.

Dei ſuper omnium ſalutē conſilium, & vbiq; locorum diuitiſſimarum veniarum marſupijs locuples repetes natale ſolum. Illi meras nugas audiere, & homines videre mortales, quibus nil numinis inerat: tibi omnia DEO plena occurrent, hic virgo brachijs geſtans tenellum infantem, & deſpicabili loco ſub rupe ponentem. Si Bethlehem viſitas (DEVM immortalem) quæ lachrymæ? quæ ſuſpiria? dum audis Angelicos hymnos, paſtorum colloquia, & cæleſtem lucem vides promicare. Quid ſuauius? quidue iucundius, quàm de his myſterijs per clariſſima ſigna doceri. Felix ille, cui datur non ſolùm viſere, ſed & viuere & mori in his terris. Fateor tibi, amice lector, hæ me impulerunt cauſæ, vt arduam hanc peregrinationem adirem, & hanc piam memoriæ ſarcinam ſtylo qualiquali conſcriberem in hoc commentariolo, qui volentibus terram ſanctam adire loco enchiridij eſſet, quo viſo de omnibus doceretur. Porrò ne vrceum pro amphora (quod dicitur) videar formare, libellum hunc pro amæniori lectione habe primum quiſquis nouarum rerum noſcendarum deſiderio flagras; deinde tu ſacræ ſcripturæ lector hoc libello tuo labori conſule, & ſacrorum locorum, (quibus ſacra pagina abundat) hic accipe notionem: poſtremo vos diuini verbi & ſacri Euangelij prædicatores hunc libellum manibus tenete, & dum res poſtulat, Chriſti myſteria locorum graphica deſcriptione populo declarate: ad hoc enim vnicè vobis hic libellus conducet.

Fructus huius commentarij.

Diuiſio

DIVISIO LIBRI.

AGIMVS VOBISCVM, CHRISTIANI lectores, quàm ſincerisſimè, & vt huius libelli noſtri res omnes quaſi in numerato cognoſcere posſitis, ſtrictim ſingulis Tomis res contemplatas complectemur, quomodo nauarcha noſter inter náuigandum crebrò nobiſcum egit, vt recordor, è prora iacentes in continente regiones à longè demonſtrans. Sic hic in præſentia agimus, his Tomis velut per tranſennam (quod dicitur) totius libri amplam regionem vobis oſtendimus. Profectò quia rem ſacram agimus, & regio Prophetæ intra ſacroſancti templi parietes libuit pſallere in Pſalterio decem chordarum libeat, & nobis totius libri materiam denis Tomis perecnſere, quibus arte & ordine tactis plectro ſcriptoris dulcis ſonus reſonabit. *Apposita ſimilitudo.*

PRIMVS TOMVS Venetiarum vrbem, Parentiæ portum, Hiſtriæ ſitum & mores, Aureum montem, golphum Auelone, Garganum montem, Albaniæ fines, Chimæræ & Pantheræ deſcriptiones continet, & habet capitula VII.

SECVNDVS TOMVS inſulam Corſice, Corphonem & Tarentum vrbes, Zacynthum, Ceſaloniæ inſulam, Cretam, Candiam vocatam; & Modonam in Helleſponto pulchrè explicat, & habet capitula VI.

TERTIVS TOMVS illuſtrem Rhodum, Caſtrum ſancti Petri, inſulas Coon, Lero, Tylos, Niſuros, Char-

quis, Syrnis, Lymonis & Golphi Sataliæ hiſtoriam continet, & habet capitula IX.

Qvartvs Tomvs regnum Cypri, portum Limeſſon, Salinas mirandas, Leucoſiam & Famaguſtam vrbes, montem crucis, Paphon metropolin, miracula terræ, hiſtoriam regis Britannici ad amuſsim explicat, habetq; capitula VII.

Qvintvs Tomvs de dimenſione Paleſtinæ, id eſt, Terræ ſanctæ, de natura ſoli & prouentibus, de regno Iuda & Iſrael, de Syria, Arabia & Galilæa, de terminis terræ promiſsionis à fluuio AEgypti, & magno Euphrate, Dan & Berſabee, de ſortibus tribuum vltra citraq; Iordanem graphicè diſputat, continetq; capita VII.

Sextvs Tomvs de ritu peregrinorum in portu Ioppe, de itinere in Solymam ſanctam, de Rama veteri, de Emaus ſiue Nicopoli, de Lydda & Dorcade, de montibus Hieroſolymitanis, de ſitu ſanctæ vrbis & ſpatio, & nominibus, de diſtantia eius ab inſigníoribus locis pulchrè pertractat, & continet cap. VII.

Septimvs Tomvs de locis ſacris vrbis ſanctiſsimæ, de Cœnobio montis Sion, & de eius ſacellis, de Cænaculo magno cænæ ſacroſanctæ, de monte Caluariæ longè ſacerrimo, de templo glorioſiſsimi ſepulchri, de ſancti ſepulchri fabrica, de ritu militum creandorum, ordine narrat, continetq; capitula VII.

Octavvs Tomvs de ſacellis templi S. ſepulchri, de varijs nationibus Chriſtianorum in templo, & eo-

rum

rum Sacris, de alijs nationibus Chriſtianorum per terram ſanctam, de comparatione Epiſcoporum orientalium & occidentalium, de ſpurcis moribus Agarenorum & Sarracenorum, de Sacellis in atrio templi, de portis vrbis Hieruſalem, de prætorio Pilati & Litoſtroto, de gemina ſententia prolata in Chriſtum, de templo Salomonis ſeriatim perdocet, continetq; capitula VIII.

Nonvs Tomvs de valle Ioſaphat, de torrente Cedron, de ſepulchro virginis glorioſæ, de Gethſemani & Bethphage pagis, de probatica piſcina, de monte Olиueti, de Bethania illuſtri, de Hiericho & roſetis eius, & monte Quarantane, de Decapoli & Galilæa, de Iordane & mari mortuo, de Nazareth inclyta, & monte Thabor, de Pentapoli & ſtatua ſalis, de Cana, Tiberiade, Chorozaim, Bethſaida, Bethulia, Tyro & Sidone pulcherrimè docet, continetq; cap. X.

Decimvs Tomvs de valle Siloê, de natatoria, de agro Akeldama, de domo Simeonis ſenis, de caſtro mali conſilij, de terebintho procera, de monticulo Abacuc, de illuſtriſsima vrbe Bethlehem, & eius ſacris locis, de templo magnificentiſsimo loci natalis Domini, de miraculo inibi facto, de cænobio Diui Hieronymi, de valle Raphaim, de monte Iudæ & domo Zachariæ, de ſepulchro Abbatis Cariathot & fratrum eius, de regno Gazæ, de oppido Buticellæ, de antiqua & noua Hebron, de ilice Mambræ, de agro Damaſceno & ortu Adam, de vineis Engaddi, & hortis Balſami, de cænobio Iohannis Baptiſtæ, & miraculo reliquiarum eius, de monte Carmelo & miraculo fontis per ordinem diſſerit, continetq; cap. VI.

CONCLVSIO OPERIS,

EPilogus cum hiſtoria regreſsionis, & peroratione auctoris ad principes Chriſtianos pro recuperatione inclytæ Rhodi.

PRIMVS

PRIMVS TOMVS

VENETIARVM VRBEM, PARENTIÆ PORTVM, HISTRIAE SITVM ET MORES, AVREVM MONTEM, GOLphum Auelone, Garganum montem, Albaniæ fines, Chimæræ, & Pantheræ deſcriptiones continet, & habet ſeptem capitula.

CAPVT PRIMVM.

Incipit primus Tomus de vrbe Venetiarum.

VENETIÆ ITAQVE, VNde omnium proſperrima in Terram ſanctam eſt nauigatio, ſitæ ſunt in ſinu maris Adriatici, quarum proximus continens eſt vrbs Paduana, quam verſus traiectus breuiſsimus eſt quinq; millium paſſuum, longè maior diſtantia ad reliqua continentis loca. Situm ergò Venetiarum, lector, nullo deſcribente facilè intelliges, habita inſularum conſideratione. Porrò vrbs ipſa omnium noſtri orbis eſt longe præſtantiſsima templis, ædibus, ædificijs publicis & priuatis, & ornatu & ſumptu ſupra admirationem excellens. Literatorum virorum ac bonarum literarum nuſpiam alibi tanta eſt æſtimatio, ſenum grauium ac mercatorum ditiſsimorum tanta copia, quanta nuſquam mercimoniorum, quæ toto orbe aut gignuntur, aut parantur, tanta vis, vt orationis limites excedat. In hac vrbe omnibus ædificijs orbis Europani præſtans eſt templum Diui Marci Euangeliſtæ, cuius corpuſculum inter reliquias alias depoſitum, mira deuotione aſſeruatur. Extant etiam ibidem Diuorum Rochi, Barbaræ, Luciæ, Helenæ, aliorumq; ſanctorum pignora, tecis aureis,

Patauium.

Encomium Venetiarum.

aureis, argenteis atq; gemmatis condita. Templum verò opere muſaico extructum ornatu miro, ſed ſumptu maiore erectum eſt. Teſtudines, columnę, atq; parietes vermiculati arte, aureo ornatu ac marmoreo lapide ita concinnata ſunt, vt non ſolùm mira varietate ac ſpecie videntes rapiant in admirationem, ſed etiam humani ingenij omnem ferè æſtimationem excedant. Profectò theſauri huius templi in auro & argento ac gemmis precioſis ac omni panno, colore aut lana, aut artificio præſtante tanti ſunt, vt admiratione, citius quàm æſtimatione, comprehendas. Templum hoc plumbeis laminis coopertum eſt, prominentibus in ambitu quinq; turriculis pro eius ornatu, quarum tintinnabula dulcibus ſonis oblectant ciues. In templi porticu quatuor equi ære fuſi viſuntur, magnæ antiquitatis argumenta.

SECVNDVM CAPVT DE PALATIO Ducis Venetorum.

Palatium templo contiguum eſt, quo sereniſsimus Dux, Senatus ac Prætor ius dicunt. Sumptu nedum ducali & ſenatorio, ſed regio & imperiali reſplendet, vt videri poſsit tanta ditione Venetorum terra, mariquè haud indignum. E cuius regione altiſsima turris eſt, inſtar ſolis aurata ſummitate radijs comantibus coruſcans, è qua veluti ſpecula altiſsima naues vndeunde medio mari velificantes mira voluptate viſuntur. Inter hæc platea latiſsima æquis lateribus ſtructa interiacet, qua Senatores, inſtitores & optimates vrbis de negocijs & mercibus orbis mira comitate, nullo ſtrepitu, miſcent colloquia. Abituris autem præſto ſunt, quaquaverſum ire libeat, nauigia. Nulla enim totis Venetijs domus cymba caret, qua placidè vecteris, ſi quo libeat ire. Venetiæ muris non cinguntur, patulo mari omnia ambiente, & per ſingulas ſtratas, tenuibus riuulis decurrente, ita tamen vt fontium & puteorum gratia Venetenſibus minimè deſit, ex quibus aquæ omnium limpidiſsimæ & dulciſsimæ in vſum vbi hauriuntur. Admirationem ferè excedit, quòd medio palatio fons patet ſeptus in modum ciſternæ, è quo, ſi haurire velis, gemina tibi ſitula opus eſt, altera ſolida, altera perforata, quarum hæc per tenue foramen guttatim

Platea.

tatim fontalem aquam imbibit, illa hauſtam largiore riuulo in fontis orificium euehit.

CAPVT TERTIVM.

IN platea riuus altus nuncupata, qua mercatores frequentius coëunt, & mare reciprocis æſtibus feruet, viſitur pictura inſignis ante annos plus minus ducentos facta, exprimens prælium Gallorum, quo captæ fuere Venetiæ, cuius rei teſtis largus eſt, Blondus, quo libro de ſitu Venetiarum pertractat. Huic propè eſt fonticulus Germanorum mercatorum conuentu inſignis, cuius ritus & mores politiamque ſi deſcribere velis, iuſti voluminis menſuram implebis. In altera vrbis regione locus eſt Arcenas nuncupatus, quo Galeæ triremes & omnia vaſa bellica miris ſumptibus parantur, ex quibus paruo negocio centum millia hominum armatorum feruntur prodire. *Riuus alt⁹.* *Arcenas.*

QVARTVM CAPVT.

POrrò de huius vrbis publicis ædificijs, & ędibus priuatis, mercimonijs, totius orbis mercatoribus omnium ſub cœlo nationum, narrare ſuperſedeo, quando res hæc ſit noſtra ſuperior narratione. Cæterum huius florentiſsimæ vrbis Reipub: quantum principe, magiſtratu, ſapientiſsimis viris, mercatoribus grauiſsimis, populo modeſtiſsimo, Clero probatiſsimo & omnium artium diſciplina præpolleat cæteris vrbibus, difficile creditu. Dux ipſe non ſanguine, non auro, non fauore, non muneribus, ſed diuina ſorte eligitur, cui in decernendis Reipub: caſibus ab omnibus modeſtè paretur. Senectus Patriciorum Venetorum citra comparationem ſpectabilis. Videas enim ſenes cano capite, erectiſsima ſtatura, vita frugali, maturiſsimo conſilio, quos præ elegantia formæ & morum modeſtia Principes credas aut Pontifices. Nullus in hac vrbe peccat impunè, nemini licet graſſari in alterum, ſed ſecundum quantitatem delicti pœna promulgatur, & ſub vigore legum liberè viuitur, quæ omnia ſi perpendas, lector amice, deſines admirari florentem tot annis, *Reſpub. Veneta.* *Senes.* *Animaduerſio in ſontes.*

 terra

terra ac mari potentem, Venetorum Rempub: Babylon euerſa eſt, Alexandria ruinoſa, Solyma vaſtata, Roma inuaſa. Solæ Venetiæ per tot iam ſecula propagant imperium. Vnde hoc? niſi prudentia, ſapientia, iuſticia, quam tenaciſsimè obſeruant, habita tamen perſonarum ac nationum pro meritis diſcretione. Gallo enim licet per Venetiarum vrbem armis ambulare accinctum, & qua velit domo citra ducis licentiam hoſpitari, quod nec Veneto, nec alteri cuiuſq; nationis homini licet. Cenſeo omninò non prætermittendum hoc loco noſtri libelli, cum quanto honore & pio affectu ciues Venetorum peregrinos terræ ſanctæ recipiant, atq; procurent. Inſtante enim nauigatione, in die Aſcenſionis generalis proceſsio indicitur, & peregrini lineis veſtibus amicti, & rubris crucibus ſignati, ad templum Diui Marci conueniunt, & in choro ſtantes alternatim cum optimatibus Venetorum expectant, orationi intendentes. Interea pueri nobiles curſitantes per chorum, varia munuſcula, vt aquam roſaceam, floſculos, frondes, nummulos auratos peregrinis diſtribuunt, vnà cùm his gratiam Dei & iter ſalutare innocentia puerili peregrinis comprecantes. His factis, proceſsionem ineunt ſociati ſinguli peregrini ſingulis optimatibus Venetorum, qui eos monent ad patientiam & deuotionem. Mirum dictu, vt populus Venetorum accurrit, quando à terra ſoluendum eſt: nam ciues & matronæ in lachrymas ferè ſoluti, peregrinos Deo & ſanctis commendant, viciſsim orantes, vt peregrini eos in locis terræ ſanctæ ſuis preculis habeant commendatos.

NOTA.

Humanitas in religioſos peregrinatores.

QVINTVM CAPVT.

AB hac ergò inclyta vrbe, pacti cum patrono nauis, ituri in Terram ſanctam, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſecundo die Iouis menſis Iunij ſexta, conſcenſa naui ſoluimus, tenſiſq; velis, & cantato lætis vocibus hymno, Veni creator ſpiritus, &c. nauigantes, decima die eiuſdem menſis in prouinciam appulimus, quæ Hiſtria dicitur, ditionis Venetorum, quæ abeſt ab ipſa Venetiarum vrbe viginti quinq; milliaribus. Sortita autem creditur hoc nomen ab Hi-

Hiſtria q Veram nominis hu

ſter

ſter filio Noæ, primo huius terræ habitatore, qui alio nomine Hiſtam dicitur. Sunt qui volunt Hiſtriam ab Hiſtro, maximo totius Europæ fluuio, nuncupari, quòd is fluuius prouinciam hanc præterfluat. Alij credunt eſſe Hiſtrum minorem, à quo prouincia denominatur, & hunc eſſe quem aduerſis vndis nauigauerunt Argonautæ. Huius prouinciæ prima vrbs * Parentia eſt maritima & peninſula, quæ velut Venetiarum portus eſt. Nam quod Romanæ vrbi Oſtia fuit, hoc ferè Parentia Venetijs. Naues enim onerariæ vndeunde venientes, huc littus appellunt, & merces exponunt, quæ leuioribus nauigijs Venetias peruehuntur. Porro Parentiæ oppidum nulla alia re inſigne eſt, quàm quod Venetorum ſit quaſi pomerium & gazophylacium. Eſt etiam in hac prouincia Hiſtriæ vrbecula puſilla, munita tamen muris & mœnibus, quæ Ruuyna nuncupatur, ab ipſa Venetiarum vrbe centum milliaribus diſtans, littori maris inhærens, in cuius cathedrali Eccleſia Diuæ Euphemiæ virginis corpus digno ſepulchro conditum viſitauimus. Hoc loco notate boni lectores inſigne miraculum. Nam in hac ciuitate, & in tota ferè Hiſtriç prouincia (vt fideli narratione accepimus) maior pars mulierum inibi naſcentium claudicat. Et aſſerunt incolæ, hunc naturæ morbum ſtirpis eſſe, non perſonæ, ita quòd vna generatio non claudicantiū haud acquieſcit matrimonia iungere cum claudicantibus, propter certum (vt dicunt) huius deformitatis periculum. Eſt etiam in Oriente huius vrbeculæ mons mari imminens, Aureus nuncupatus, ex quo (vt fama fert) lapides omnes vrbes Venetiarum ædificijs ſunt exciſi. In huius montis confinibus eſt alius mons medio mari habitaculo idoneo inſignis, in quo morantur homines per Venetos deputati, & eorum facientes ſtipendia, qui maris tranſitum probè calleant, doceantq; quo tutius Venetias peruehantur citra iacturam. Eſt etiam in fronte dicti montis, quà orientem ſpectat cœnobium Diui Franciſci, titulo Diui Andreæ inſigne, mari ſeptum, quo non citra admirationem puteis effoſsis, aqua dulcis & lympida bibitur. Huius loci cœnobitæ, inuitante amœnitate herbarum atq; arborum, quæ ad iactum baliſtæ in latum, ad duos in longum protenditur, adſeruiendum Deo deuotiſsimè inuitantur. Hic etiã miræ magnitudinis piſces, præ perſpicuitate

ius notionem tradidimus Syntagmate noſtro.

**Ptolomæo Parentium eſt.*

Mulieres claudæ.

¶ *Aurei montis meminit liber notitiarum in Moeſia prima, itẽ Aurelius Victor in uita Probi.*

aquæ

aquæ marinæ facillimè capiuntur. Ex quibus & nos, quantum eſui ſatis eſſet, prenſauimus.

SEXTVM CAPVT.

NOueritis lectores catholici, quòd Hiſtriæ prouinciæ primùm eſt contigua Sclauonia, 2 Albania, 3. ad ſiniſtram Friola, 4. Græcia, deinde ciuitas Conſtantinopolitana, ita quòd ab Hiſtria poteſt quis meare Conſtantinopolin terreſtri itinere, & inde Hieruſalem abſq; maris vaſto traiectu. Nauigantes ergò die Martis vndecima eiſdem menſis Iunij, relictiſq; à tergo prouincijs Romianæ, Neapolis, Siciliæ, & reliquis his adiacentibus, ad dextram Sclauonia, ad ſiniſtram ad calcem Golphi, vulgariter nuncupati * Auelone, inter montem quendam, qui Garganus dicitur in Apuliæ finibus, quo loco ſanctus Michaël Archangelus Gargano, iuſto viro, apparuit, in prouinciam * Albaniæ mari tranſmiſſo peruenimus. Et cùm in fine golphi ſtaremus die menſis decima ſeptima Iunij, ſumpta cæna, per duas horas ante Solis occaſum ipſum mare turbinibus grauiter agitatur, & tempeſtas ingens, occidentali vento immitius flante, illic ſuborta eſt. Ab illa hora vſq; ad eandem horam diei Martis ſequentis cum maximo impetu, vt maris vndæ ad cacumen nauis frequenter aſcenderent, ſcapha aquis adobruta, præſciſſo per nos fune, ne in maius periculum laberemur, ſubmerſa eſt: cuius tamen precium iuſtum nos Gallicæ nationis peregrini patrono perſoluimus. Hinc velis noſtris demiſsis atq; contractis, nauis omnis ventorum impetui permiſſa fuit, qua durante tempeſtate, ſiniſtram verſus Albaniam prouinciam dereliquimus.

* *Alijs eſt Apollonia, alijs Aulon.*

* *Quæ veteribus Epirus.*

SEPTIMVM CAPVT.

Albania.

PRofectò, Albaniæ prouincia præ magnitudine ſui tripartitur. Vnam partem ſub ditione ſua poſsident Veneti: Alteri Turca dominatur: reliquam inexpugnabilem, ob loci naturam, ob montes aſperrimos, tenent Albani. Hic Panthera (quam vocant) arduiſsimis rupibus eleuata, quam homines proſcripti, exules,

exules, & facinoroſi variarum nationum (vt accepimus) incolunt. Hi ſub Albaniæ optimatibus pro tuenda patria, & armis parandis, ſtipendia faciunt. Haud prætermittendum, quòd huius Turcæ pater in eam Albaniæ partem, quæ nunc Chimæra *Chimæra.* nuncupatur, viginti millia equitum hoſtiliter miſerat, qui omnes ob anguſtiā locorum, aſperrimorumq; montium difficultatem, re non ſolum infecta, verumetiam ad vnum periere, partim cæſi à pueris & mulieribus. Euſtathius in commentario ſuper Dionyſio de ſitu orbis, refert, homines huius regionis Pantheræ adeò ad currendum veloces, vt equos celerrimos curſu excellant. Et hæc de Albaniæ ſitu dixiſſe ſuffecerit.

SECVNDVS TOMVS

INSVLAM CORSICE, CORPHONEM ET TARENTVM VRBES: ZACYNTHVM, CEPHALONIÆ INSVLAM, Cretam, Candiam vocatam, & Modonam in Helleſponto pulchre explicat, & habet capitula VI.

SECVNDI TOMI PRIMVM CAPVT.

DIe Mercurij decima nona menſis prędicti mari quaſi tranquillato, eodem tamen vento, licet longè mitius flante, fulgente aurora, inſula * Corſice cum montibus, & vrbe, Corphon dicta, oculis noſtris fuêre ſubiecta, & ** Corcyra.* per peritos maris & terræ monſtrata. Inſula hæc Venetæ ditionis eſt, tenens in longitudine viginti ferè milliaria, in latitudine duodecim, duobus milliaribus leuca conſtante. Hæc abeſt à Tarento Apuliæ ſexaginta millibus, ita quòd de vna ad aliam ire volens,

 tranſeat

ſtranſeat per magnum mare prædictæ latitudinis neceſſe eſt. Die vigeſima menſis prædicti ob raritatem venti, qui apud nautas Bonaſſa * dicitur, mari tranquillo Zacynthum inſulam proſpeximus quinq; millibus à nobis diſtantem. Hæc inſula, ſicut diligenti inueſtigatione cognoui, eſt latitudinis triginta millium, longitudinis quinquaginta, vnica vrbe inſignis, quæ ſanta dicitur, à qua & tota inſula nunc denominatur. Vrbs muris caret & portis, ſed pro ſui tutione caſtro munitur adiacenti. Sunt tamen in hac inſula plurimę domus rureſtres, & habitacula villarica. Eſt & monticulus parum excelſis & infertilibus plena, raris vineis à mediocribus culta. Diſtat à Venetijs hæc inſula nongentis millibus, & ab Rhodo ſeptingentis. Hinc ad manum ſiniſtram nauigantes, reliquimus (*Cephalen*) Cefaloniam, inſulam famoſam, Turquiæ contiguam, inter quas ad dextram viſitur Creta, illa famigerata, cum inclyta vrbe noſtra ætate, Candia dicta, in qua totius Græciæ creſcunt vina præſtantiora, & præcipuè illud albicans, apud nos Maluaſaticum dictum eſt. Vnde autem Creta hoc nomen ſortita ſit, quod nec Syrum eſt, nec Hebræum, ſed mixtum, incertum eſt, maximè cùm Creta interpretetur vocatio conſummata, & Cretes vel Cretenſes dicantur vocatione conſummati. Nos autem Cretam terram albam vocamus. Et hæc ipſa terra Candia vocatur, fortè à candore, ex Solis calore effecto, vt veriſimile videatur ab albore Cretam dici, vel Candiam, cùm non legamus in ſacris literis ſingularem huius inſulæ ad fidē vocationem, nec præcipua in ea facta miracula, niſi quòd Apoſtolus Paulus legitur in actibus Apoſtol: cap. 27. hîc tempeſtate iactatus. Sed hoc ad Hebraicam huius nominis interpretationem nihil alludit, maximè cùm idem Paulus eoſdem Cretenſes infami prouerbio veteris Poëtæ ſuggillet, dicens in epiſtola: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Eſt enim in hac inſula eſculentorum magna copia, ſicut & in adiacentibus Græciæ prouincijs. Cuius rei vnum exemplum fidem faciat. Nam perdices, quæ apud nos & raræ ſunt, & precioſæ, & Veneris (vt fertur) alumnæ, ibi & in cæteris vſq; ad terrā ſanctam prouincijs numeroſæ ſunt, & exilis precij. Mirandum planè apud nos, quod ibi eſt frequentiſsimum, ſcilicet de perdicibus, quæ apud nos ſylueſtres

ſunt

Zacynthi.

* *Vocis nimirum uſurpatione noua et deprauata. Notum autē animal, Bonaſus, à bonis auctorib' Sophiſtarum, conuicijs, mendacijs, & dentatis chartis pugnantium, ingenia repræſentans. Quia enim cornib' inutiliter implexis lædere non poteſt, fugiens ſparſo fimo uenatores, ita ut aliquis ignis, adurit.*

Tit. 1.

¶ Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

ſunt, & communi opinione vulgi indomabiles, adeò vt in Prouerbij locum ſermo abierit, quatuor hæc eſſe indomabilia, Mures, Hirundines, Anates, Perdices. Nam res longè aliter viſitur in his regionibus maximè de perdicibus. Hæ in domibus nutriuntur magno numero, & per familiam perq; officinas curſunt, per omnia vt apud nos gallinæ, & certis horis turmatim euolant ad paſtum inſtar columbarum, ac redeunt. Quod quidem fieri creditur ex nimio calore regionis, quo vrgente, nonnunquã ad antra rupium conuolant maximo numero, & ab aucupibus inſidias tendentibus capiuntur. Eſt & aliud auium ſylueſtrium genus delicatum, ex quibus credere licet hanc inſulam tale prouerbium ſortitam teſtimonio Pauli Apoſtoli, ex affluentia vini præſtantiſsimi, & carnium delicatiſsimarum, quibus immodicè ſumptis inualeſcit Venus, quibus abſentibus pereunt arcus Cupidinis, iuxta illud Comici: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Porrò cum Rhodus diſtet à portu Ioppe ſeptingentis millibus, colligitur ritè ſupputando, quòd Venetiarum vrbs diſtat à portu Ioppe bis mille & ducentis millibus, quę æquipollent leucis mille & centum regni Galliæ.

SECVNDVM CAPVT.

INſuper mente tene lector, quòd in hac Candiæ inſula quidam ſunt agri, ex quibus eodem anno bis triticum colligitur: quòd ego quidem ſemel vidiſſe memini, ſed incolis res frequens & citra admirationem, qui & bona id fide affirmârunt, inter Candiam & Ceſaloniam oues bis parere ſingulis annis propter excellentem Solis feruorem. *Soli ubertas.*

TERTIVM CAPVT.

DIe verò Veneris proxima, quæ erat vigeſimus primus, * menſis prædicti, applicuimus * Modonam, ciuitatem fortem atque metropolim in prouincia Helleſponti, quæ nunc Morea nuncupatur. Hæc eſt Græcia ditione adiacens mari, diſtatq; à Ianta centum millibus, montuoſa, quam Veneti longis temporibus tenuere, ſed à 44. annis ſubacta eſt.

Veteribus eſt Methone, nempe Meſſeniæ ciuitas in Peloponneſo.

acta eſt tyrannide Turcarum, & facta tributaria, taliterque munita, vt inexpugnabilis reputetur. His locis audiui non ſine admiratione agitari quæſtionem de corpore ſancti Leonis, aliquibus aſſerentibus, corpus dicti ſancti in illa ciuitate requieſcere, alijs verò contradicentibus, ipſum ſanctum adhuc viuere, & in vicinis monticulis latitare.

Leonis legenda.

QVARTVM CAPVT.

HÆc vrbs proditoriè capta fuit à Turcis: dumq; incolæ obſidionem percepere, miſſo igne in omnia ædificia publica & priuata, maiorem partem vrbis incendio conſumptere, volentes potius vxores ac proles flammis conſumi, quàm in turpiſsimorum Turcarum manus incidere. Quamobrem Turcæ vrbe potiti, ex captiuorum & interfectorum capitibus obtruncatis, in memoriam tam crudelis victoriæ duas altiſsimas turres conſtruxere, quæ à Chriſticolis turres Martyrum hodie nuncupantur, eò quòd ſingulis noctibus piç reliquiæ cœleſti lumine decorantur: Turcæ verò affirmant, eos inferis deſtinatos.

Turres Martyrum.

QVINTVM CAPVT.

PRope dictam ciuitatem alia eſt vrbs fortior & opulentior, * Corphon vocata, diſtans à prædicta duodecim millibus, quam cum terris adiacentibus, Græcia, Morea, Cypro, perfidus Turca permittit Chriſtianis, vt in eis ſua fide, lege & moribus viuant, ſoluto tamen ſibi graui tributo. Hîc præſides & magiſtratus liberè creantur, & principum præcepto paretur. In his locis multos vidi Græcos presbyteros, & eorum ſacris ſæpè interfui. Hi mercimonia habent cum Turcis, & omnia humano vſui commoda leui precio comparantur. Eſt autem vrbs ſita ad mare Adriaticum, mœnibus ac turribus fortis, imò fortiſsima.

** Coron, Ptolomæo Corone.*

SEX-

HINC ergò noſtro itinere progreſsi, die Dominico menſis prædicti ante auroram tempeſtas alia, grauior præcedenti, nos inuaſit, quæ flante contrario vento vſq; ad Solis occaſum diei Martis ſequentis durauit, ita vt nautæ & maris periti mirantes dicerent, ſe nunquam illo anni tempore his locis tempeſtatem tam longam vidiſſe. Porrò die Martis prætacta prædicti menſis 25. quæ tunc accidit in craſtinum natalis Diui Iohannis Baptiſtæ, circa Solis occaſum tranquillo mari, relicta Candia, adnauigamus Rhodum.

TERTIVS TOMVS

ILLVSTREM RHODVM, CASTRVM SANCTI PETRI, INSVLAS COON, LERO, TILOS, NISVROS, CHARQVIS, Sermis, Lymonis & golphi Sataliæ hiſtoriam continet, & habet capitula octo.

CAPVT PRIMVM.

HOc Tomo alta Rhodus inſigni iubare promicat,
quæ ob binas Diui Pauli epiſtolas ad ſe ſcriptas λόγος ι.
vſq; in noſtram ætatem metropolitanam dignita- πλεύμ-
tem obtinuit. Hæc enim alio nomine Coloſſus & ος.
Rhodiani Coloſſenſes nominantur. Rhodum ergò diu optatam ægri marinis incommodis peruenimus, cuius laus iuſtum volumen expoſtulat. Nos ad alia properantes, ipſam Rhodum facili pede, haud tamen contemptim, percurremus. Ergò portum Rhodium ingreſsi, ſpecioſum Diuæ virginis ſacellum, dictum beatæ Mariæ de Philermo, ſalutauimus. Hîc olim

Rhodus ſita fuit loco ſatis excelſo. In vrbem ingreſsi quàm hu-
Iohannitæ. maniſsimè à Dominis ac militibus Diui Iohannis Baptiſtæ habiti fuimus, qui, vt & omnes vrbis habitatores, candidis vultibus nos accepere. Inde petita & obtenta licentia à magno Magiſtro huiuſce religionis, datoq; iuramento ritu ſolenni, à noſtris languoribus curati fuimus, adhibitis edulijs delicatis, & remedijs oportunis. Hîc vſq; ad diem Dominicam, inſtantem, quæ fuit vltima menſis prædicti, moram traximus, partim infirmitate cogente, partim vt glorioſæ vrbis inſignia loca videremus.

CAPVT SECVNDVM.

Rhodi munitiones. HOc temporis interuallo, data licentia, Rhodum perquam diligenter luſtrauimus, quæ geminis foſsis ac muris miræ fortudinis cingitur, quoniam altitudo & latitudo eorum mirè excreſcit. Tormentorum, quas bombardas vocant, & varij generis arma mirantes dinumerauimus, quæ ne hîc deſcribam, in cauſa eſt, ne ſim lectori faſtidio tanta multitudine rerum. Attamen vt exemplo atq; indicio Rhodi fortitudinem concipias, lector, ſcito quòd anno Domini incarnationis 1480. vt plenius leges in ſcriptoribus annalium, Rhodus ipſa per Turcam Mahometem oppugnata, & trecentis hominum armatorum millibus obſeſſa vano molimine fuit, omnibus Turcis ſummo dedecore re infecta regreſsis. Ego id exiſtimo, Turrim ſancti Nicolai, in calce portus ſitam, inuincibilem eſſe, quippe quæ machinis bellicis ita munita eſt, vt omnes aduerſos irridere poſsit inſultus, nec nauis vlla illic tutò poſsit tranſire, niſi commeatu huius præſidij.

Mahometes 2. Imp. Turcicus.

¶ Belli huius hiſtoriam habet commentarius Bernhardi à Breitenbach, cum alijs rerum Turcarum auctoribus expreſſus ab Oporino.

TERTIVM CAPVT.

IN loco, qui vulgari lingua Rhodiorum Mandrachi appellatur, qui quidem locus dicitur olim fuiſſe portus antiquus ciuitatis, ſtatua ſolis, ſiue Apollinis, collocata fuit, quæ vaſtitate ſua & altitudine mirabili ſexaginta cubitis eleuata, tantum arte ac mole reliquas fabricas excelluit, vt inter ſeptem orbis miracula dignè numeraretur. Coloſſus enim

enim nuncupatur, vt aliqui volunt, à Græco verbo Κολοσσόω, quod ſignificat cruciatum, vnde Rhodij Coloſſenſes meruêre vocari, quòd Coloſſus geminis turribus innixus terræ motu tandem ceciderit. Portus Rhodi fortiſsima catena clauditur, vtrinq; munitiſsimus arcibus collocatis, iuxta quas molendinę tredecim ordine diſponuntur, quæ non ſolum fruges terant, ſed & vrbis ſint propugnacula bellica, qui locus ab incolis vocabatur Trulia. *Nugatur* *¶ De eadem re Suidas Κολοσσαεῖς.*

QVARTVM. CAPVT

IN hac vrbe duo ſunt Latina cœnobia, alterum Diui Auguſtini, quod Gallorum arte & ſumptibus fabricatum eſt, alterum Diui Franciſci, in honorem virginis glorioſæ fundatum, ob victoriam, quam Domini Rhodienſes contra Turcas habuere, cùm illic clàm ingreſsi turpiſsima fuga & cæde inde fuêre expulſi. Locus hic vocatur ſanctæ Mariæ de victoria, prope quèm Diui Pantaleonis templum eſt, cuius martyris die, aliam de perfidis Turcis Rhodienſes ſuſtulere victoriam, cuius memoria annuatim ſolenni proceſsione ordinis agitur. Eſt & principale templum Diui Iohannis, palatio magni magiſtri contiguum miro ſumptu extructum, in quo Baptiſtæ manus ſeruatur, qua Ieſum turbis oſtendit, dicens ad fluenta Iordanis, Ecce agnus Dei, &c. *Rhodiæ militiæ magiſter.*

QVINTVM CAPVT.

IN hoc templo viſitur crux ænea, quam conflatam ferunt ex materia peluis, qua Chriſtus in nocte cœnæ lauit pedes diſcipulorum ſuorum. Oſtenditur etiam triginta argenteorum nummis vnus, quibus Chriſtus eſt venditus cum alijs piæ memoriæ reliquijs venerandis. Et & alia Latina Eccleſia in honorem Diuæ virginis & martyris Catharinæ erecta, in cuius cœmeterio ſepulchrum extat inſtar ſepulchri Dominici. Quinetiam & alia in hac vrbe Græcorum & Latinorum templa viſuntur. *λείψανα.*

RHodus inſula eſt latitudinis viginti millium, longitudinis autem quadraginta, & habet ſub ſe plures inſulas, Coon, quæ vulgariter Lango dicitur, * Caſtrum ſancti Petri in continente, quo Halicarnaſſus ciuitas ſuo Dionyſio olim famata erat, Leria, Tylos, Niſuros, Charquis, Syrnis, Lymonis & plures alias in Cypro, Morea, Conſtantinopoli & Hieruſalem, ſed inani de his titulo gaudens; quia à Turca, fidei Orthodoxæ inimico, vi tenentur, vt mirari liceat, quomodo panis filiorum Iſraël canibus traditus ſit ad deuorandum.

** Arx Petrea, q̃ ex ruinis Halicarnaſſi pyramidibusquè Mauſoli ſepulchri, inter ſeptem orbis miracula nominatiſſimi, ſtruere cœpit Heinricus Schlegelholt, eques Germanus, dum Tamberlanes inuaderet Aſiam, ut Iacobus Fontanus de bello Rhodio lib. 2.*

SEPTIMVM CAPVT.

Canum miraculoſa ſagacitas.

ADuerte lector, quod in prædicto ſancti Petri caſtro canes mirandæ conditionis pro caſtri cuſtodia habentur hoc ordine, vt qualibet nocte viginti quatuor ex eiſdem canibus ſe diuidant, per diuerſas partes caſtri circumeuntes: qui ſi quem infidelem obuium habeant, mire cognoſcunt ingenio, moxq́; dilacerant: Chriſtianos verò multis blanditijs exceptos ad caſtrum deducunt ſine omni moleſtia. Quod quidem fidei Chriſtianæ pulchrum & indubium eſt argumentum.

¶ Vide Itinerarium Hieroſoly: Bernhardi à Breitenbach, qui ſtato tempore tintinabulo reuocari ſolitos tradit.

OCTAVVM CAPVT.

¶ Reditus Archiepiſ. Rhod.

ARchiepiſcopatus Rhodi (vt bona fide accepi) in annum præſtat ſexcentos ducatus: at magnus Prior ſancti Ioannis eſt Archiepiſcopo ditior. Hunc vidi offerre ſacrum in die feſto S. Apoſtolorum, Petri & Pauli, cum baculo mitris & anulis inſtar Epiſcoporum, cuius rei cauſam me mirante, intellexi eum ſolum Romanum Pontificem, vt ſuperiorem, venerari. Hic etiam magnus Magiſter olim potiebatur *Eubœa.* præfectura prouinciæ Eubœæ, ab Euboico mari nominatæ, quod

nunc dicitur Baliuium nigri Ponti, & etiam poſsidebat vrbem ſanctæ Mariæ in Antiochia. At nunc proh dolor res Rhodiorum longè aliter habent.

NONVM CAPVT.

POterant hæc de Rhodo dicta in præſentia tibi, lector, ſufficere, niſi miſeranda Chriſtiani nominis calamitas, & nobiliſsimæ inſulæ Rhodianæ exitium, præ turpi Chriſtianorum principum ignauia, funebri concione mihi deplorandum videretur. Sed quia res noſtro eſt maior ingenio atq; ſermone, hæc prouincia alijs cedat, maximè quòd alium locum & ingenium liberum tanta res poſtulat. Nos autem ſupradicto die Dominico vltima menſis ſupradicti circa noctis crepuſculum (vt mos eſt) cepimus nauigare, & * Sataliæ golphum attingentes, ingens periculum metuebamus. Eſt enim mare hoc loco tam formidoloſum, vt Helena, Conſtantini Imperatoris mater, Solyma rediens, vnum ex clauis Dominicis in mare hoc loco, vt miteſceret, demerſerit. Tanta eſt etiam huius maris malignitas, vt prouerbij loco dicatur: Nullus Sataliæ golphum transnauigat, quin beneplacitorum ſuorum bona parte obliuiſcatur. Hic tamen tranquillitas, vulgò Bonaſſa dicta, nos tenuit, ita vt per duos dies parũ profecerimus nauigando, donec tertio die ventus ab occidente flans nos arriperet, vt relictis prouincijs caſtri rubei, Calcedoniæ & alijs, in Turquię continente ſitis, Cypro appropinquaremus. Calcedonia hæc alio nomine Caria, & minor Aſia vocatur, quàm à ſiniſtra reliquimus.

** Attaliæ, quæ Ptolemæo Pamphiliæ urbs eſt.*

Helena Aug.

¶ Simile huic, uetus adagium: Maleam legens, quæ domi ſunt, obliuiſcere.

QVIN-

QVARTVS TOMVS

REGNVM CYPRI, PORTVM LIMESSON, SALINAS MIRANDAS, LEVCOSIAM, FAMAGVSTAM VRBES, MONTEM

Crucis, Paphon Metropolin, miracula terræ, hiſtoriam regis Britannici ad amuſsim explicat, habetq; capitula ſeptem.

PRIMVM CAPVT.

SAbbatho autem, die ſcilicet ſexta menſis Iulij, Oriente iam Sole, regnum Cypri attigimus, & in portum ruinoſum, quem * Limeſſon vocant, prouecti, inter nauigandum (mirum dictu) piſces plurimos ad iactum vnius arcus ſe in aërem leuare atq; volare proſpeximus. In hoc portu manſimus vſq; ad diem Martis, rerum nouarum huius patriæ curioſi. Accepi autem relatione fide digna, nutriri in Cypro murilegos, quos catos dicimus, qui continuò venationi viperarum, Camelionum, & aliorum reptilium (quibus terra abundat) inſiſtentes, leuant patriam magnis periculis. Eſt autem Cyprus montuoſa, petroſa, calida, ſed ſaccaro, bombace, ſale, ſerico ac byſſo alijſq; varijs opibus ac mercibus abundans, quæ vili precio comparantur.

** Olim Amathus oppidum, ut Mercator.*

Feles.

SECVNDVM CAPVT.

IN regno Cypri duæ ſunt vrbes cæteris præſtantiores, * Leucoſia & Famaguſta. Reliqua pars plena ruinis. Nam regis Angliæ quondam filia ſanctorum locorum fruens amore, Hieroſolymam profecta eſt honeſto ſodalitio. Quæ cùm Cyprum ingreſſa eſſet, & Cypri * regem ſalui conductus gratia ſalutaret, voti quidem

** Nicoſia.*

** Tyran- num, non.*

quidem compos euaſit, & à rege humaniter fuit recepta. Cæterum inter comedendum & colloquendum (vt fieri ſolet) impudicus rex ſpecioſiſsimæ reginæ flagrans concupiſcentia, & hoſpitalis iuris oblitus, vi eam oppreſsit. Quæ probè diſsimulata interim iniuria, & peracta peregrinatione in regnum ſuum rediens, defuncto iam patre, fratri regnanti turpe ludibrium expoſuit, & de tanto ſcelore vindictam poſtulauit. Rex nil moratus, inſtructa claſſe, nauigat Cyprum, & fugato rege Cypri, regnum demolitus eſt.

pe Iſaacium Connenum. Vide Appendicē noſtram ad Chrcnicon Hieroſol:

TERTIVM CAPVT.

HOc tempore regnum Cypri poteſtati Venetorum ſubiectum eſt, de quo tamen Veneti ſoluunt Turcæ annuum tributum quatuor millium ducatorum. Incolunt autem Cyprum maxima parte Græci Chriſtiani, tametſi in multis cęremonijs differant à ritu Romanæ Eccleſiæ. Nec ideò tamen damnandi ſunt, niſi credamus fatuè, hominum ſalutem conſiſtere in cæremonijs, aut magis fatuè, extra Romam neminem poſſe ſaluari. Hoc loco ſcire vos iubeo, boni lectores, longè aliter rem ſe habere, quàm plærię; per occidentem ignoti homines credunt. Credunt enim, nuſpiam eſſe Chriſtianos, quàm in Europa, & per occidentem, cum reuera per totum Orientem innumeri maneant Chriſtiani, adeò vt auſim dicere, in Armenia, Æthiopia, Perſide, Chaldæa, Ægypto, India & alijs regionibus reperiri triginta Chriſtianos contra vnum Sarracenum. Sed hi quoniam imbelles ſunt, fortè ſecundum Euangelij CHRISTI modeſtiam, ideò Turcæ dominantur eorum, quibus ſoluentes tributa, quiete viuunt in ſua fide & religione. Soli enim præſides, iudices & magiſtratus ſunt Turcæ & Sarraceni, reliqui ferè omnes Chriſtiani, qui abſque dubio maxima auxilia afferrent principibus Chriſtianis, ſi in terram ſanctam ſub vexillo crucis expeditionem pararent. Et nos ipſi peregrini Græciæ vrbes peragrantes, audiuimus optimates & plebem nil magis velle ac optare, quàm vt principes Occidentis conflato exercitu pro recuperatione terræ ſanctæ & Orientalis Eccleſiæ mare tranſirent dicentes,

Cyprus Turcis vectigalis.

NOTA.

Stat⁹ Chriſtianiſmi per Orientem.

dicentes ſe maxima ſubſidia & commeatuum & militum præſtituros. Nunc ad Cypri deſcriptionem. Hic prope portum ruinoſum, ſalinarium nuncupatum, per duo ferè milliaria in valle diffuſa, ac littori maris propinqua, ſingulis annis mira gignitur

Sal marin⁹ ſalis abundantia ex aqua dulci congelata, & virtute Solis decocta, quæ iudicio meo vſui totius orbis ſufficeret. Porrò de huius ſalis generatione & prouentu varia eſt prudentum virorum opinio. Nam alij id attribuunt virtuti Solis & aquæ, alij credunt terræ vim quandam ineſſe mirabilem, reliqui in miraculum rem referunt, quòd ſcilicet Diuus Lazarus olim hac iter faciens, ſiti æſtuans, à muliercula botrum ſibi dari petijt, qua per irriſionem reſpondente, terram eſſe ſalis quàm vini feraciorem, ſit ita, ſanctus ait, ſalem gignat deinceps terra non dulcem vini liquorem. Verùm id lector dijudica, ego nec probauerim ſanè, nec reprobauerim.

CAPVT QVARTVM.

Mons Crucis.

EST & prope eandem ciuitatem Salinarum duodecim millibus diſtans mons excelſus, mons Crucis nuncupatus, vt incolæ aſſerunt, omnibus terræ montibus altior. In huius montis cacumine ſacellum extat fabrefactum, in quo crux viſitur prodigioſæ virtutis, quam ferunt incolæ tempore paſsionis Chriſti fabricatam fuiſſe, & quoniam extenſo per eam Ieſu nimis arta fuerit, reiecta eſt. Cyprij aſſerunt eſſe hanc crucem boni latronis: reliqui verò putant veræ crucis Chriſti partem huic eſſe incluſam, cuius virtute crebra fiant miracula, ita vt nobis præſentibus illuſtris quædam Domina per hanc crucem ab immundo dæmone liberata fuerit. Eſt autem vndiq; incruſtata argento, ſumptibus cuiuſdam nobilis viri ex Gallia, ne fruſtratim in partes ſecta tolleretur.

QVINTVM CAPVT.

MOns hic (vt dixi) altiſsimus eſt, & acceſſu difficilis itineris, ſcilicet duarum noctium in aſcenſu, iuxta quem ad triginta milliaria vrbes ſunt inſignes, vt dixi-

Famaguſta mus, Famaguſta omnium vrbium fortiſsima, &

Leucoſia

pulchra,in qua requieſcit corpus Diui Iohannis Montis fortis,ex cuius tumba continuò dulce ſcaturit manna. Alia ciuitas in hoc regno antiquiſsima, atq; metropolis, Paphos dicitur, vetuſtiſsimis autoribus celebrata, in qua ſeptem fratres Macchabæi vnà cum matre inclyto martyrio coronati ſunt. Nos autem hoc fanum ſubterraneum, in honore martyrum, ſeptem ſacellis diſtinctum, multa deuotione ingreſsi ſumus, ſinguli ſeptena luminaria accenſa geſtantes. In huius loci medio fons ſcaturit largiſsimis aquis, quæ potæ à febribus curare creduntur. *Paphos.*

CAPVT SEXTVM.

PAphos ruinis plena videtur, templis tamen frequens, inter quæ Latina ſunt præſtantiora, in quibus ritu Romano diuina peraguntur, & Gallorum legibus viuitur. Fructus canamellæ abundat, & vili emitur. Vina præſtantia colliguntur, vnde botrus Cypri ſacra in ſcriptura laudatur miræ magnitudinis, ſaporis præcipuì, vt rectè Salomon dixerit, Botrus Cypri in vineis Engaddi. *Botrus Cypri.* In Cypro etiam poma, quæ Paradiſi vocant, creſcunt miranda, figura cucumeris magnitudinis viſendæ, planta magis quàm arbore, cuius folia quatuor palmos habent in latum, longa ad humani corporis ſtaturam. *Poma Paradiſi.* His pomis grana inſunt ferè centena, figuræ ſphericæ, longitudine trium digitorum vel circa, quæ decorticata humano vſui ſeruiunt. Arbor hæc trium annorum periodo emoritur, & ex radice eius renaſcitur alia.

CAPVT SEPTIMVM.

OVes Cypriæ parum laudandæ, ſed admirandæ, villo magis quàm lana teguntur. *Oues Cypriæ.* Carnes ſapore graues, odore grauiores. Aries hic viſitur ſepticornis, caudà prodigioſa in longum, habēs tres pedes, in latum verò paulò minus, ita vt ſingulis arietibus bigæ, quibus caudas poſt ſe trahant, alligentur, quod niſi credas lector atq; auditor, in Cyprum vade ſpectatum. Aries decem ſolidis Gallicæ monetæ venditur. Quod ſi quæras, quare tam ignobile

pecus nutritur? Reſpondeo, ob lanam villoſam, ex qua tapetes, & reliqua ſtragula, iuncta lana caprina, conficiuntur. Nam carnes (vt dixi) ſunt eſu difficiles, cauda tamē reliquo corpore paulo delicatiore. Aër plærunq; in Cypro peſtilens eſt, quo fit, vt multa venenata animalia ibidem naſcantur, inter quæ eſt quoddam genus inſectorum, quod locuſtas vocant. Naſcitur borea flante per Cyprum, infeſtum terræ naſcentibus, adeò vt agminatim per aërem feratur, & vbi ceciderit virentia quæq; deuorat. Terræ motus etiam in Cypro frequens eſt, quo multa plærunq; ædificia ſubruuntur. Quarè habitatores Cypri humiles domos & ferè ſubterraneas incolunt, vt altiores caſus euadant iuxta illud Poëtæ: feriunt ſummos fulgura montes. Et illud: humili caſa ſecurius dormitur. Tum ob aëris temperiem, vt frigus captent opacum. Eſt enim mirus illis regionibus calor æſtiuis temporibus, adeò vt domibus rariſsimi dormiant, timentes calores incluſos parietibus, ſed in pomarijs, viridarijs & hortis lectos ſibi parant in hunc modum. Eligitur medio horto arbor frondoſior, à cuius ramis ſuſpenſa propendent tentoria, inter quæ ſtratus honeſtus componitur, & ſic per hortos tentoriatim dormitur, tanta ſecuritate, vt puellæ ac matronæ illuſtres, ſolæ dormiant citra omnem incurſionem, nec quis audet cubiculum inerme irrumpere, timens legum vltionem. Quinetiam omnis mundus muliebris his repoſitus tentorijs manet tutus à furibus. Vigent enim leges in his terris, nec quiſquam alteri citra mulctam eſt iniurius, adeò vt ſi qui gladijs dimicare incæperint, mox exhibiti iudici pugnis amputatis dant pœnas, quæ lex etiam inuoluit plærunq; extraneos.

Locuſtæ.

Terræ motus.

Cubilia hortenſia.

TOMVS

TOMVS QVINTVS

DE DIMENSIONE PALÆSTINÆ, ID EST TERRAE SANCTAE, DE NATVRA SOLI ET PROVENTIBVS, DE REgno Iuda & Iſraël, de Syria, Arabia, & Galilæa, de terminis terræ promiſsionis à fluuio Ægypti, & à magno Euphrate, Dan & Berſabee, de ſortibus tribuum vltra citraq; Iordanem, graphicè diſputat, continetq; capitula ſeptem.

CAPVT PRIMVM.

SOluentes Cypro die Martis ſequenti menſis Iulij circa meridiem, nauigantes per medium maris ita promouimus, vt die Iouis ſequenti hora meridiana Terram ſanctam, & portum Ioppe, è naui videremus, ſpeculantes autem Terram illam ſanctam à longè, per tot labores & anxias curas quæſitam, primum mirè omnes gauiſi ſumus. Hinc qui gemitus, quæ ſuſpiria, quæ lachrymæ in nobis, quis dicere ſufficiat? Alius gaudio tacitus ſecum orabat, alius vocé elata velut amens præ deuotione cantabat, alius genu flexo, iunctiſq; manibus adorabat, omnes autem in hos Dauidici Pſalmi verſus erupimus: Ecce introibimus in tabernaculum Domini, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius, &c. *Terra ſancta.*

CAPVT SECVNDVM.

NActi ergò tutum portum Ioppe, & compotes voti effecti, generalem Terræ ſanctæ deſcriptionem aggrediemur, id poſtulantibus loco & tempore, vt ſcilicet de huius inclytæ terræ ſitu, dimenſu, prouentibus diſſeramus. Ergò Terra hæc ſancta ipſa eſt tot celebrata ſacræ ſcripturæ præconijs, toties Dei ore laudata *Eiuſdem ἀρχαιο- & λογία.*

& Iſraëlitico populo promiſſa, vnde hæc terra promiſsionis in ſcripturis vocatur. Hæc per victorioſiſsimum Ducem Ioſua (teſte eius libro) duodecim tribubus eſt diuiſa in funiculo diſtributionis, deletis in ea ſeptem nationibus famoſis, cæſiſque Regibus 32. Huius terræ pars vna regnum Iuda nuncupatur, continens ſortem duarum tribuum, Iudæ & Beniamin: altera pars regnum Samariæ, quod regnum Iſrael, vel decem tribuum nominatur. Hæc duo regna cum prouincia Philiſteorum maritima, cumque Decapoli, Terra ſancta eſt, à Coſmographis Palæſtina vocata, quæ magnæ Syriæ pars eſt. Porrò Syriæ triplices apud Scriptores leguntur: Syria Meſopotamiæ, Syria Cœles & Syria Phenices. Eſt & Syria Damaſci, aliàs Syria Lybanica dicta. Quinta autem magnæ Syriæ pars eſt Palæſtina, à nobis terra ſancta dicta, quæ in tres portiones ſecatur. Prima eſt, cuius metropolis eſt ſancta Hieruſalem, continens montes & colles Iudææ, quæ extenditur ad mare mortuum, atq; deſertum Cadeſbarne. Secunda eſt, cuius metropolis eſt Cæſarea maritima, quæ totam Philiſtiorum regionem complectitur, incipiens à Petra inciſa, quæ caſtrum peregrinorum dicitur, vſque Gazam, vrbem Philiſtijm, tendens contra meridiem. Tertia eſt, cuius metropolis Bethſan in monte Gelboë iuxta fluenta Iordanis, quæ antiquitus Scythopolis dicta fuit. Hæc regio propriè Galilæa, ſiue campus magnus Eſdrelon & Mageddo vocatur.

Syria nomen πολύσημον.

TERTIVM CAPVT.

Arabia triplex.

ARabia ſimiliter tres portiones ſortitur. Primæ metropolis eſt Boſra, olim Berſa, nunc Burſeth dicta. Huic Trachonitidis & Ithureæ regio iungitur ab occaſu, Damaſcus autem à Borea, qua de cauſa Arabia nonnunquam Syria Damaſci vocatur. Secundæ metropolis eſt Petra vrbs in torrente Arnon, olim Naboth dicta, quæ erat in dominio filiorum Ammon, complectens regna Seon, Eſebon, Baſan, & montem Galaad. Tertiæ metropolis eſt Mons regalis, nunc Charach, olim Petra deſerti vocata, ſupra mare mortuum ſita. Hæc continet terram Moab, quam & Syriam Sobal, ſcriptura appellat, continetq; etiam totam Idumæam, ſiue

montem

montem Seir, omnemq; regionem circa mare mortuum, vſque Cadesbarne, & Aquas contradictionis verſus rubrum mare per altiſsimas & ferales ſolitudines, vſque ad magnum Euphratem. Et hæc eſt Arabia magna, in qua Mecha vrbs eſt, & ſpurciſsimi Mahumeti ſepulchrum.

QVARTVM. CAPVT.

HIs diligenter perſpectis, Chriſtiane lector, colligimus Terræ ſanctæ longitudinem incipere ab Aquilone ſub monte Libano, vbi ſita eſt Cæſarea Philippi, nunc Velenas, olim Dan, ſiue Lachis vocata. Porrò protenditur contra Auſtrum vſq; Berſabee Iuda, quæ nunc Gibelin dicitur, propinqua deſerto magno. Hæc longitudo in ſacris literis crebertimè inſinuatur, dum dicitur: Congregatus eſt Iſrael omnis à Dan vſque Berſabee. Iuxta hanc dimenſionem tota terra ſancta citra Iordanem in latitudine iuſta eſt quinquaginta duorum milliarium ab Iordane vſque ad mare magnum, hoc eſt, ab Oriente in Occidentem. Porrò longitudo, quæ ſumitur ab Aquilone in Auſtrum, ſcilicet à Dam vſque Berſabee, continet milliaria 240. Terra autem vltra Iordanem, quæ erat duarum tribuum, ſcilicet Gad & Ruben, & dimidiæ tribus Manaſſæ, quantum viſu aſſequi potui, credo à mari Galileæ vſque ad torrentem Arnon, quæ eſt longitudo eius, quinquaginta quatuor milliaribus contineri.

Terræ ſanctæ dimenſio.

QVINTVM CAPVT.

HÆc, quæ diximus de terræ ſanctæ dimenſu, partim viſu experti ſumus, partim probatorum ſcriptorum, Moſis, Ioſuæ, atque Ioſephi poſſunt probari. Nôris tamen, Lector, omnem terram Iſraëlitis promiſſam, ferè modico tempore fuiſſe poſſeſſam. Nam cum Philiſteis, cum filijs Ammon ac Moab, Idumæisq; nunc pro ſuis finibus tuendis, nunc pro alienis occupandis, continua ferè bella geſſere. Sed & Deus ipſe crebrò in ſcriptura teſtatur populo, non omnes delendos habitatores terræ, tum ne deſerta terra, & raro habitatore, in-

Iſraelitarum continua bella.

creſcerent beſtiæ contra filios Iſraël, tum ad exercitium Iſraë-lis. Sunt igitur relictæ certæ nationes, quæ eſſent voce Dei, quaſi ſudes in oculis eorum. Adde quòd exigentibus peccatis eorum, maximè idolatriæ, indigni erant filij Iſraël, promiſſa terra potiri, quin à ſedibus ſuis per hoſtes crebro fuère expulſi, & multis malis afflicti. Dauid tamen manu forti & Ioab princeps militiæ, armis omnia vendicârunt, traiecto etiam magno flumine Euphrate, ita vt Salomoni pacificum regnum pararetur.

Dauid.

SEXTVM CAPVT.

Postulat locus, vt de qualitate & prouentibus Terræ ſanctæ paucis diſſeramus, de qua re magna eſt inter autores diſſenſio: Nam dicunt nonnulli, Terram ſanctam eſſe ſaxoſam & ſterilem, quæ non tam natura ſoli, quàm Dei beneficio ſingulari fructus & alia vitæ neceſſaria progerminet. Hi originem erroris ſumpſere ex prauo intellectu autoritatis ſcriptæ in libro Deuteron: qua dixit Moyſes ad filios Iſraël: Cùm ingreſsi fueritis terram, quam Dominus Deus daturus eſt vobis, cauete, ne vnquam obliuiſcamini Domini Dei veſtri. Terra enim, ad quam ingredimini poſsidendam, non eſt ſicut reliquæ terrarum, ſed de cœlo expectans benedictionem. Alij autem dicunt (id quod veriſsimum eſt) terram hanc eſſe omnium fertiliſsimam, amœniſsimamquè non ſolum quòd experientia probat, ſed etiam ſacra ſcriptura multis in locis teſtatur. Vnde Iacob ex hac terra, Chanaan olim dicta, mittens filios in Ægyptum, dixit, Sumite de optimis terræ frugibus. Sed & Ioſua & Caleb, allatum in vecte botrum monſtrantes Moſi & populo Iſraël, oſtenderunt exploratorum mendacia. Videas, lector amice, in hac terra montes herbidos, prata amœna, agros odoros, vbi paſsim velut in hortis cultis creſcit feniculum, ſalui, ruta, roſa. Hic bombax abundat & Canamellæ, vnde ſaccarum educitur. Sunt etiàm poma præſtantia varij generis, optimi odoris, cedri, citri, limones, anarangi, ficus, mala granata, oliuæ, pepones, citrulli, melones, dactyli, racemi, legumina optima, frumenta præſtantiſsima. Poma varij generis toto anno ex arboribus leguntur, ex vitibus ſingulo anno ter vindemiæ colliguntur,

Terra ſancta cæterarum princeps.

quod

quod partim fit arte, partim natura. Terra ſancta etiam beſtijs, pecude varia, & auibus pluriformibus abundat. Hic vrſi, ſues ſylueſtras, cerui, damulæ, capreæ, lepores, cuniculi, coturnices, turtures, quantum vſpiam terrarum abundant. Hic leones, leopardi, cameli, dromedarij, aſini, muli, equi in magna copia. Porrò arbores præſtantes, palmæ, terebinthi, cedri, cypreſsi, & omnium præſtantiſsima Balſami. Rectè ergò Moſes ille pientiſsimus auctoritate Dei populum Iſrael conteſtatur, dicens Deuteron. cap. 8. Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam riuorum, aquarum & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſsi, terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus & mala granata naſcuntur, terram olei & mellis, vbi abſq; vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia frueris. Clarum tamen eſt omnibus viris prudentibus, multum vtilitatis & amœnitatis eripi terræ ſanctæ neglectu & vitijs incolarum.

CAPVT SEPTIMVM.

PRo Terræ ſanctæ clariore noticia, & eius exactiore deſcriptione, ſecundum ſortes tribuum ſequendo Ioſephum, dicimus, quod tribus Iudæ ſortita eſt ſuperiorem regionem, cuius longitudo extenditur ab Hieruſalem vſq; Ægyptum ſeptem dietis, latitudo à lacu Alphaltite, quod eſt mare mortuum, vſq; ad mare magnũ, ſiue mediterraneum, & eſt triginta milliarium. Simeonis ſors cucurit cũ Iuda ex ea parte, quæ eſt iuxta Ægyptum in monte Arabiæ, & eius dimenſione continetur. Beniamin tribus ſortita eſt terram à Iordane vſq; ad mare magnũ, longitudine triginta milliarium, latitudine à Hieruſalem vſq; Bethel 8. ferè milliarium. Ephraim ſors erat à Iordane vſq; Gaderam prope Ioppen in longi m. Latitudo extenditur vſq; ad magnum campum Eſdrelon, vbi incipit Galilæa continetq; 24. milliaria. Manaſſę dimidia tribus cum Ruben terram ſortita eſt vltra Iordanem; reliqua pars Manaſſæ citra Iordanem terram obtinuit à Iordane vſq; ad mare magnum prope Doram, cuius longitudo eſt 30. milliariũ. Iſaſchar *Fines tribuum.*

terram

terram accepit Iordanis ad Carmelum iuxta Maceda, longitudine 16 milliarium, latitudine ab Bethſan vſq; ad montem * Taburijm decem milliarium. Zabulon ſortita eſt Carmelum vſq; Genazareth, duodeuiginti milliaribus in longum, à Thabor per vallem Carmeleam pingui ſolo 10. milliaribus in latum. Aſer tribus ſortita eſt terram à Carmelo vſq; ad magnam Sidonem 40. milliaribus in longum, à mari magno vſq; Naaſon duodeuiginti milliaribus in latum. Neptalim tribus ſortita eſt Galilæam ſuperiorem vſq; ad montem Libani, fonteſq; Iordanis 20. milliaribus in longum, à mari Galilææ vſq; ad Libanum 10. milliaribus in latum. Dan tribus ſortita eſt loca conuallium magni maris intra Azotum & Doram, in longum, Iamniam, Geth & Accaron vſque Bethoron, longitudine tribus Iudæ & Beniamin, intra cuius terminos ſortem accepit.

* Itabyriũ.

SEXTVS TOMVS

DE RITV PEREGRINORVM IN PORTV IOPPE, DE ITINERE IN SOLYMAM SANCTAM, DE RAMA VETERI,

de Emaus ſiue Nycopoli, de Lydda & Dorcade, de montibus Hieroſolymitanis, de ſitu ſanctæ vrbis, & ſpacio & nominibus, de diſtantia eius ab inſignioribus locis pulchrè pertractat, & habet capitula ſeptem.

PRIMVM CAPVT.

HIs prælibatis, ad iter noſtrum regrediendum eſt. Igitur naui in ſtatione Ioppenſis portus recepta, expectauimus donec miſſo per patronum noſtrum ad præfectum Hieruſalem, nuncio, ſaluum conductum obtineremus. Antè enim exire nauem fas non eſt, niſi ſummo periculo vitæ. Porrò præfectus vnà cùm cu-

ſtode

ſtode fratrum minorum montis Sion aduenit, quo morante pauliſper in littore, cœnobita Minoritan⁹ noſtram nauem conſcendens, hac exhortatione vſus eſt, dicens: Saluete fratres Chriſtiani. Veniſtis huc ſummis laboribus atque impenſis opinione mea, vt ſanctiſsima loca viſitando veneraremini. Quamobrem ne tanti laboris atq; itineris fructu fruſtremini, me paucis intelligite. Primùm Chriſti amorem puro corde concipite, vt ſacram ſacrorum locorum virtutem percipere digni ſitis. Deinde patientiæ clypeo vos munite, ſi quæ aduerſa inciderint, memores longè maiora Ieſum Chriſtum, verum Deum, in hac terra pro vobis toleraſſe. Poſtremùm aſcendentes in terram, manus Turcæ, aut præfecti Hieroſolymitani (iuxta conſuetum morem) flexo genu oſculamini, & inter ſcribæ manus (ne quis ex vobis pereat) nomina & cognomina date. Horum memores confitemini in commune, vt ſi quo vinculo excommunicationis teneamini, vos abſoluere poſsitis, vt digni ſitis harum gratiarum participes fieri.

Minoritæ Hieroſol. πανδαίνεσις hoſpitalis.

SECVNDVM CAPVT.

His factis, mox nauem egreſsi, & aſcendentes in terram, genu flexo manus præfecti exoſculamur, damus nomina, & mox numerati, mittimur in ſpeluncam, cum ſerpentibus, camelionibus inter feces diem agentes & noctem, donec veniente cuſtodia militari conſcenſis aſinis progredi liceat. Porrò Ioppe, nunc Iapha dicta, olim vrbs celebratiſsima, ad quam fugit Ionas à facie Domini, quam Iaphet, filius Noæ conſtruxit, nunc penitus euerſa eſt. De qua multa non ſolùm in ſacris literis, maximè in libris Macchabæorum & in actis Apoſtolorum leguntur, verùm etiam apud Coſmographos & Poëtas huius loci eſt mentio. Hîc oſtenditur beati Petri Apoſtoli hoſpitium. Eſt etiam ſacellum iuxta mare ſub rupibus veтuſtæ memoriæ, & venerandum, ſunt & ſcopuli illi è mari prominentes, ad quos Poëtæ fabulantur, Andromedam, Cephei filiam, alligatam fuiſſe, & à Perſeo liberatam. Sed res hæc vt reliquæ ſimiles poëticis velaminibus abſcondita eſt. Propè hunc portum ad dexteram ingens ſaxum viſitur, ſuper quo Petrus Apoſtolus legitur abluiſſe retia, Chriſto veniente.

Ioppe.

Andromeda. ¶ V. de Syntagma noſtrum de regno Mycenæo.

Rama. Die ergò Lunæ ſequenti, quæ tunc habebatur ſolennitas Diuæ Magdalenæ, conſcenſis aſinis properauimus in Rama, dato tamen tributo ad valorem duorum Carolorum pro quolibet monetæ Franciæ publicanis, dominis Ramæ. Porrò Rama diſtat ab Ioppe 8. milliaribus, itinere plano atq; amœno, ad quam eadem die Lunæ poſt meridiem, Deo duce, peruenimus, & in quadam domo ruinoſa, olim à * Burgundiæ Duce conſtructa pro peregrinantibus manſimus, pauperrimè hoſpitati. Nam licet in Rama ſint ædificia multa, nobis tamen hoſpitium aliud non patuit. Hic ergò quieſcentes per noctē, audiuimus Turcas ſuo Mahumeto nocturnas quaſdam preces per fletū & eiulatū dicentes. Eſt autem multiplex Rama. Prima iuxta Thecuam in via Hebron. Secunda in Neptalim proxima caſtro Sepheth. Tertia iuxta Sephron. Quarta in Silo. Quinta iuxta Gabaa, de qua nunc loquimur, & omnes in montibus conſtructæ ſunt. Hæc noſtra Rama eſt, de qua legitur in Euangelio, & in Ieremia Propheta: Vox in Rama audita eſt. Hæc olim Ramatha Sophim dicta fuit, ſita in monte Ephraim, ex qua Samuel Propheta, & iudex Iſraël, ortus fuit, & ibi ſepultus. Sic enim ſcribitur in primo Regum cap. 25. Mortuus eſt Samuel, & congregatus eſt omnis Iſraël, & planxerunt eum nimis, & ſepelierunt eum in Ramatha Sophim in domo ſua. Hæc poſtea dicta fuit Arimathia in Euangelio, ex qua fuit ſanctus ille Ioſeph, nobilis decurio, qui corpus Ieſu honeſtè ſepeliri curauit. Nunc verò Ramula nuncupatur. In hac vrbe palmæ abundant, & præcelſæ turres eminent, in quibus lampades oliuo perpetuo ardent. Non enim vllus vſus eſt candelarum & cereorum apud Turcas. In his turribus etiam corpora nobilium Turcarum reponuntur, vt cœlo ſint propinquiora & ad eorum ſepulchra continuò Mahumetici preces dicunt.

*Philippo.

Ioſephus decurio.

QVARTVM CAPVT.

Ad ſiniſtram Ramæ oppidum Lydda viſitur, de quo in actibus *Apoſtolorum fit mentio. Narratur enim Actor. 9. cap: quod Ioppe fuit quædam diſcipula, dicta Hebraicè Tabita, Græcè Dorcas, Latinè Damula, hæc erat plena operibus bo-

* cap. 9.

bus bonis. Mortua eſt autem in Ioppe eo tempore, quo Petrus erat in Lydda. Diſcipuli ergò totum corpuſculum poſuerunt in cœnaculum, mittentes duos viros in Lyddam ad ſanctum Petrum, rogantes vt citius venire dignaretur. Petrus ergò continuò ſurgens, venit in Ioppe, & flentibus pauperibus ſuper morte Dorcadis, Petrus eiecit omnes de cœnaculo, conuerſuſq; ad orationem & genibus flexis, orauit, dixitq; : Tabita, ſurge, quæ ſurrexit atq; reſedit, & viuentibus ſe miſcuit. Porrò locorum inſignia hodie monſtrantur in Ioppe, & in Lydda, vbi eſt templum ſatis pulchrum, quo loco olim Diuus Georgius pro fide, capite truncatus eſt. Ergò die Martis prædicti menſis 23. circa auroram egreſsi de Rama, comitatu & conductu Turcarum iter fecimus per deſertum: in quo grauem Arabum incurſionem non ſine vulnere & ſanguine cuſtodiæ noſtræ perpeſsi ſumus. Arabes enim prædonum more cum gladijs & lanceis diſcurrunt, quicquid in via repererint prædæ loco rapientes. Nos autem pacti cum eis, aſinantes tranſiuimus caſtellum Emaus, quæ inſigni miraculo Dominicæ apparitionis in Euangelio Lucæ eſt celebris, olim caſtellum, poſtea vrbs, dicta Nicopolis, nunc diruta, paruo extante ædificio. Hinc ad ſanctam Hieruſalem alacri pede, & ſumma deuotione peruenimus. Et à fratribus minoribus montis Sion benigne fuimus recepti, & per eos in hoſpitiolum conducti, ſubſtratis tapetibus, per noctem dormiuimus.

Georgius Martyr.

Arabes prædones.

Emaus.

CAPVT QVINTVM.

DAuid regius Propheta, ſanctam ciuitatem carmine laudans, dixit: Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem, montes in circuitu eius, &c. Horum ergò montium numerum & diſpoſitionem ſpeculemur. Ab Oriente imminet ſanctæ vrbi mons Oliuarum, cęteris altior, de cuius locis ſacris & templis ſuo loco dicem⁹. Verſus Auſtrum mons eſt prædicto minor, dictus mons offenſionis, eò quòd Salomon, vt ſcribitur in 3. Regum, idolum Moloch poſuerit ibidem è regione Templi ſacri, Deum excelſum ad iracundiam prouocans. Inter Orientem & Auſtrũ mons eſt valdè excelſus imminens agro Akeldama, propè quẽ eſt mons Gihon ab occidente.

Hieroſolymæ adiacentes montes.

 Porrò

Porrò ab Aquilone mons eſt præaltus, diſtans ab vrbe quatuor ſtadijs, in quo Salomon Chamos, idolo Moabitarum templum erexit, vt ſcribitur in tertio Regum. Tempore verò Machabęorum in hoc monte arx conſtructa fuit, vnde Solyma vrbs valdè infeſtata fuit. Huius arcis veſtigia hodie permanent. Omnes hi montes præſcripti temporibus lapſis non adeò propinqui fuere mœnijs ſanctę ciuitatis, vt ex eis de propinquo ciuitas oppugnari potuiſſet. Sunt & alij plæriq; montes, rebus geſtis inſignes, de quibus ordine per peregrinationes dicemus. Sunt autem hi montes fructiferi, nec prærupti nimis, nec ſaxoſi.

SEXTVM CAPVT.

Porrò de ſanctæ vrbis Hieruſalem ſitu pro mea virili inueſtigans, comperi, quòd antiquitus ſicut hodie mons Sion ſupereminеat vrbi, qui incipit à porta aquarum, ſiue fontis Siloë, contra Orientem, & cingitur geminis vallibus, vna ad Auſtrum, vbi quondam fuerit turris Dauid, altera ad Aquilonem, eratq; ciuitati pro vallo. In hoc monte Sion, rex Dauid ſibi conſtituit manſionem, vbi & multi reges Iuda ſepulti quieſcunt. Regio autem ſanctæ vrbis, fertilis eſt & amœna, præterquam contra Orientem & Iordanem. Diſtat autem Solyma ab Achon, quæ olim Ptolomaida dicebatur, milliaribus ſeptem ad Aquilonem ſitu montoſo, à Sebaſte, olim Samaria dicta, à Samarite, filio Chanaan, triginta duobus milliaribus, à Sichem, quæ Sichar in Euangelio nominatur, viginti milliaribus, à Nazareth quadraginta quatuor milliaribus. Contra Aquilonem ab Ioppe quadraginta milliaribus, à Hiericho quatuor millibus, à Bethlehem quindecim, à Thecua octo millibus, ab Hebron decem & octo millibus.

Sion.

CAPVT SEPTIMVM.

Hieroſolymæ ſitus.

Vrbs ſancta ſita eſt in priſtino loco, & antiqua regione habitatur. Fuit tamen per plures principes reparata, & ampliata taliter, vt plæraq; loca ſancta, olim extra vrbem ſita, nunc mœnibus includantur,

dantur, inter quæ eſt Caluariæ mons ſacroſanctus, & hortus Dominici ſepulchri ſanctiſsimus. Ambitus Solymæ maior vnum milliare habet per diametrum, tria in circumferentia, ita vt non ſit paruitate anguſta, nec amplitudine nimis vaſta, ſed medio ſpacio cuicunq; illuſtri vrbi comparanda. Quæ præ inſignibus meritis multa nomina habet. Vocatur enim Iebus in libro Iudicum, vocatur Solyma, Hieroſolyma, Hieruſalem, & Ælia ab Ælio Adriano Imperatore, qui eam poſt vaſtationem Veſpaſiani reparauit. Friuolum tamen eſſe credo, Solymam eſſe, quæ in ſcripturis Luza & Bethel vocetur, cùm ex commentario Diui Hieronymi facilè probari poſsit, contrarium eſſe, ſcilicet Bethel & Luzam oppida à Solyma ſatis longè diſtantia. *Diuerſæ appellationes.*

TOMVS SEPTIMVS

DE LOCIS SACRIS VRBIS SANCTISSIMÆ, DE COENOBIO MONTIS SION, ET DE EIVS SACELLIS, DE COEnaculo magno Cœnæ ſacroſanctæ, de monte Caluariæ longè ſacerrimo, de templo glorioſiſsimi ſepulchri, de ſancti ſepulchri fabrica, de ritu militum creandorum ordine enarrat, continetq; capitula ſeptem.

PRIMVM CAPVT.

AGite nunc ſumpto ſpiritu feruoris ſanctam ingrediamur ciuitatem dicentes cum Propheta Dauid: Ego autem in multitudine miſericordię tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Nam ſi regi Dauid in laudem Solymæ licuit dicere: Fundamenta in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, quam glorioſè dicta ſunt de te, ciuitas Dei, ante diuinorum

myſteriorum Chriſti celebrationem: quantò magis conuenit, nos eiuſdem vrbis promere laudes poſt mundi ſalutem ibidem per tot ſacramenta patratam. Egreſsi ergò hoſpitale noſtrum gratia peregrinationis, primùm offendimus caſtrum forte, foſsis & turribus cinctum, per potentes olim, nunc autem deiectos, Piſanos, in loco turris Dauid conſtructum, quo tempore Piſani terræ ſanctæ tenebant dominium, quam terram Sultano turpiſsimo lucro proſtituerunt, fuereq; primi, qui à terræ ſanctę peregrinis ſacrilegum exegere tributū, digni Dei iudicio, vt propter hoc ſcelus ſerui dominarentur eorum, quod impletum videmus in Florentinis.

Piſani.

SECVNDVM CAPVT.

Templum montis Sion.

IN craſtinum templum montis Sion ingreſsi, peracto ſacro ritu ſolenni per fratres minoritas, auditaq; Fratris concione, cereos tenuimus accenſos in manibus, & ſocietati Fratribus, cum canticis & hymnis ordine loca ſanctá pro noſtra fragilitate cæpimus viſitare, lachrymis pleni. Primò in templo Fratrum perquam deuotè vidimus locum, in quo Chriſtus vltimam celebrans cœnam, agnum Paſchalem comedit, quo loco maius altare veneranter erectum eſt. Nam ibidem Ieſus ſacramenta corporis & ſanguinis nobis ſumenda inſtituit. Secundò in eodem templo à cornu altaris dextro viſitauimus locum, quo Chriſtus ſumma charitate lauit pedes fratrum ſuorum, & multa myſteria profundo ſermone declarauit, vbi erectum eſt venerandum altare. Tertiò in ſuperiori huiuſdem templi parte ſummo amore locus viſitur, quo Chriſtus in die Pentecoſtes Apoſtolis alium miſit paracletum in igneis linguis, tribuens eis chariſmatum dona. Quartò in inferioribus huius templi ſacellum ingreſsi ſumus non citra ſtuporem, quo Thomas Didymus digitum in vulnera, & manum miſit in Chriſti latus ſacroſanctum, ſua dubitatione noſtram ſolidans fidem. In hujus ſacelli altari eſt columnæ magna pars, ad quam Chriſtus in Caiphæ domo creditur ligatus & cæſus, cuius cæſionis ſigna veluti ceræ impreſſa videntur. Quintò, facta hac proceſsione intra parietes templi, venimus ad lapidem, in quo loco Diuus Matthias in locum Iudæ damnati ſorte diuina eſt ſubſtitutus. Sextò ab hinc octo paſſus progreſsi,

Matthias Apoſtolus.

greſsi, veneranter ad locum acceſsimus, quo Diua virgo Maria migrauit à ſeculo triſti, qui locus ſtratis ordine lapidibus cingitur, ne vlla immundicie maculetur. Nam olim ibi fuit templum decorum, vt probat ruina. Septimò quindecim paſſus ab hoc loco progreſsi vidimus lapidem, ſuper quem ſanctus Iacobus minor in Epiſcopum Hieroſolymitanum fuit electus. *Iacobus minor.* Octauò hîc propè locus veneratur in quo Diuus Iohannes Euangeliſta, ſacratiſsimę virgini dietim ſacra celebrabat. Nonò vidimus locum, in quo paſchalis agnus nocte cœnæ fuit aſſatus. Decimò venimus ad ſepulchra regum Iuda, Dauid, Salomonis & reliquorum, quæ partim in Eccleſia, partim extrà magno ornatu conxſtructa. *Mauſolea regum Iudæ.* Nunc temporis in hoc loco Turcæ Meſquitam erexerunt. Vndecimò, quinq; paſſuū ſpatio progreſsi, offendimus duos lapides, in quorum vno Chriſtus prædicans ſedit, in altero Beata virgo ſermonem filij audiuit. Duodecimò, prope mœnia vrbis Diui Stephani ſepulchrum colitur. Decimotertiò, progreſsi à cœnobio montis Sion quinquaginta paſsibus, Caiphæ domum ſumus ingreſsi, in cuius porticu parua, locus oſtenditur, in quo Petrus Chriſtum negauit. Hic pulchrum ſacellum erectum eſt, quod Armenij tenent, in cuius medio locus eſt, in quo Caiphas Chriſtum illuſum interrogauit. Viſitur etiam à dextris feneſtra, in qua gallus neganti Petro ter cecinit. Carcer quoq; Domini hîc eſt, in quem poſt illuſiones nocturnas Chriſtus demiſſus refertur.

TERTIVM CAPVT.

NVnc ad loca ſacratiſsima montis Caluariæ & ſancti ſepulchri properemus. *Mons Caluariæ.* Die ergò Mercurij eadem circa Solis occaſum, comitati Turcis, ſanctum Domini ſepulchrum ingreſsi ſumus, deuotione pleni, & maximo lachrymarum rore perfuſi, ibidem pernoctauimus. Deinde ordinata proceſsione incedentes, præ foribus ſancti ſepulchri omnes nominatim vocati per ſcribam Sultani, apertis valuis, moxq; poſt ingreſſum noſtrum recluſis, cereos geſtantes in manibus primò ſacellum ingreſsi ſumus, in quo Chriſtus ſacra nocte Paſchæ glorioſo in corpore

virgini

virgini matri primò apparuit. In hoc ſacello cruces, claui, ſpongia, lancea, inuenta per Helenam Imperatricem, fuerunt repoſita, donec experimento facto per ſuſcitationem mortui vera crux Chriſti comprobaretur. In huius ſacelli feneſtra quadam magna crucis pars per multa tempora in memoriam miraculi fuit ſeruata. Eſt & grandis pars columnæ, ad quam Chriſtus in Caiphæ domo ligatus fuit & cæſus, patentibus adhuc ſignis, cuius columnæ altera pars in vrbe Roma, in templi diuę Praxedis honoratur.

Secundò inter dictum ſacellum & ſepulchrum Domini locus eſt, in quo ſummo diluculo Chriſtus Magdalenæ dilectæ apparuit in ſpecie hortulani, in cuius rei memoriam duo hîc ſaxa viſuntur lapidibus ſepta, in quorum vno Ieſus, in altera Magdalena ſtabant colloquentes.

Tertiò verſus ſeptentrionem acceſsimus ad locum, in quo Chriſtus detentus creditur tempore, quo foramina crucis & alia ſacra paſsionis inſtrumenta pararentur. Ante hunc locum (qui carcer Chriſti dicitur) in lapide quodam duo videntur foramina, à Chriſtianis mirè honorata, quæ creduntur conſtante fama virtute diuina pedum Chriſti lapidi impreſſa, quæ bona fide dixiſſe velim, Hoc loco hodie venerandum altare erectum eſt.

Quartò procedentes humilimè nudis capitibus & pedibus, manibusq; iunctis, ſacellum ſubterraneum ingredimur, in quo ſub ſordibus & pulueribus Dominicæ paſsionis inſtrumenta, crux, claui, ſpongia, lancea, corona fuere reperta per Iudam quendam gentis ſuæ ſeniorem, qui iuſſu Helenæ in carcerem truſus, & fame maceratus fuit, donec cœleſti iudicio perfulgente, ipſe primus terræ foſſor acceſsit, locum oſtendit, & ſacratiſsima inſtrumenta Imperatrici Helenæ protulit. Erant autem demerſa extra iudiciariam portam in quandam voraginem, aggeſtis deſuper ſordibus, vt citius putreſcerent, in qua per ducentos ferè annos latuerunt. Hoc ſacellum vocatur Diuæ Helenæ.

Quintò poſt ſupradictum ſacellum ſubterraneum aliud templum in honore Imperatricis eſt erectum.

Sextò prope eſt ſacellum, quo magna columnæ pars viſitur, ad quam Chriſtus in prætorio Pilati dirè legitur flagellatus, patentibus adhuc ſignis ſanguinis precioſi ac funium. Quarè à

fidelibus

fidelibus ſumma deuotione videtur, tangitur, adoratur. Huius columnæ pars reliqua eſt Conſtantinopolim translata.

Septimo hinc acceſsimus ad ſacellum, in quo altare pulchrum atq; marmoreum oſtenditur in cuius loco Chriſti veſtes fuere partitæ, & ſors miſſa ſuper tunicam eius inconſutilem.

QVARTVM CAPVT.

His peractis, ad deuotam peregrinationem ſacratiſsimi montis Caluariæ præparamur, confeſsi purè, communicati altaris myſterijs, & ardenti ſermone præmoniti. Moxq; per viam altis vocibus, ſingultibus & fletibus Dei miſericordiam implorantes, montem ſacroſanctum aſcendimus, ſitum ab occidente, olim extra, nunc intra vrbem comprehenſum. Aſcendimus autem altitudinem decem & octo graduum, ſingulo gradu alto pede cum dimidio. In montis medio foramen cernitur, auro argentoq; interius circumdatum, profundum palmis duobus & dimidio, capax capitis humani, incredibilis planè ſanctitatis & odoris præcipui. Nam & totus Caluariæ mons miris odoribus fragrat. *Foramen crucis Chriſti.* In hoc foramine ſacroſancta crux nobili Chriſto onerata & conſecrata pijs membris, fuit defixa, ad cuius aream rupes eſt, ad quam aſcenditur tribus gradibus, moxq; ſacrum foramen oſculamur, patentibus hinc inde aliarum duarum crucium foraminibus diſtantia inæquali, propter rupturam inter crucem Chriſti & latronis ſiniſtri, qua paulò longius ſiniſtra crux ſemota fuit à Chriſto. Ruptura hæc miræ profunditatis & longitudinis facta creditur cum reliquis miraculis, Chriſto expirante in cruce. Diſtantia foraminis dextri à Chriſti crucis foramine eſt plus minus ſex palmorum, diſtantia verò foraminis ſiniſtri à cruce Chriſti palmorum vndecim. Extant autem duo altaria ab vtriſq; lateribus, quorum dextrum in memoriam Diui Iohannis Euangeliſtæ, Ieſum patientem piè contemplantis, aut certè ob merita boni latronis creditur fundatum, ſiniſtrum verò in memoriam depoſitionis corporis Chriſti per Ioſeph & Nicodemum, quæ ibidem facta fuit, cùm in his locis precioſo ſanguine Chriſti totius mundi peccata ſint expiata. Eſt etiam locus hic

inſignitus marmore & muſaico opere, in quo ſtrata in terram cruce, Chriſtus in ea fuit extenſus atq; eleuatus, antequam eleuaretur, operaturus ſalutem in medio terræ.

QVINTVM CAPVT.

Sacellum hoc montis Caluariæ ſicut ſanctitate omnibus præſtat, ita ſpecioſitate excellit. Eſt enim extructum marmore, parietes interius mundiſsimo alabaſtro tecti, pauimentum miro ornatu ac coloribus variegatum, teſtudo opere muſino & vermiculato radiantibus laminis aureis, ita, num ſpecie aut precio plus excellat, non facile dixeris: nec enim ſimile opus in orbe terrarum credo reperiri. Profectò quia hoc ſacellum Chriſti crucis fixione & redemptione generis humani eſt conſecratum, nouerітis fideles lectores, quòd Ieſus crucifixus faciem habuit ad occidentem, dorſum verò verſus ciuitatem, quod ex eò patet, quia vorago, in quam cruces erant proiectæ, erat illo tempore retrò locum crucifixionis. Fuit enim foſſa extra portam iudiciariam propè muros à parte occidentali. Ex quo colligitur manifeſtè, Golgatham, ſiue Caluariæ montem, fuiſſe ante portam iudiciariam valdè propè muros, ſicut Iohannes teſtatur in Euangelio, dicens prope ciuitatem Chriſtum paſſum. Locus autem beatiſſimæ virginis non erat ſub crucis brachio, ſed antè faciem filij ferè ad occidentem in decliuio montis, vel rupis Caluariæ. In deſcenſu montis Caluariæ in planicie Eccleſiæ viſitur locus, in quo Chriſtus, à cruce demiſſus (atteſtantibus Euangeliſtis) per Ioſeph ab Arimathia & Nicodemum, viros iuſtos & timoratos, de conceſsione Pilati, mixtura myrrhæ & aloës fuit inunct⁹, & ſyndone munda, alijſq; linteis curioſè inuolutus, præſentibus Diua Virgine, reliquiſq; mulieribus, circa exequias nobilis corporis multum ſollicitis. Sudarium apud Chamberiacum, Allobrogum oppidum, multa veneratione monſtratur ſingulis annis in vigilia & die inuentionis ſanctæ crucis. In radice montis ſunt ſepulchra Godefridi & Balduini de Boullon, regum Hieruſalem, miro ſumptu extructa, æterna patriæ Lotharingorum, heroumq; de Boullon memoria digna.

NOTA.

Monumenta Godefridi & Balduini, regum Hieroſol:

CAPVT

Hinc iam progredimur, viſuri ſepulchrum Chriſti glorioſum, diſtans à loco crucis Chriſti pedibus centum & nouem. Deſcenditur enim à loco crucis Chriſti ad ſuperficiem pauimenti Eccleſiæ ſpacio pedum viginti nouem, quod reſultat ex decem & octo gradibus, & à principio pauimenti vſq; ad ſepulchrum ſpacium eſt pedum 28. Eſt ergò diſpoſitio loci Dominicæ ſepulturæ talis. In media templi area ſtant duæ domunculæ ſiue cryptæ: ſunt etenim è rupe cauatæ, interius & exterius parietibus marmore incruſtatis, tecto rudi iuxta naturam rupis exterius manentis. Hæ cryptæ contiguæ ſunt, & ſub eodem tecto, eiuſdem longitudinis, latitudinis & altitudinis, habentes in longum ſeptem pedes intra parietes, ad quarum priorem intratur oſtio apertura ſatis patente, viſiturq; locus lapide ſignatus, vbi Angelus remouit verum lapidem ab oſtio monumenti, ſtantibus in hac crypta mulieribus. In altera ingreſsis per portulam, quæ eſt altitudinis pedum trium, & latitudinis pedum duorum cum dimidio vel circa, ita quod medio corpore inclinato ingredi neceſſe ſit, à dextris eſt Chriſti ſepulchrum ſeptem pedibus longum inſtar cryptæ, octo palmis altum à pauimento, ex marmore candido atq; lucente. In hac crypta lampades multæ continuè ardentes lumen miniſtrant: ſunt enim parietes vndiq; ſolidi. Eſt autem hæc crypta vix trium hominum capax, ſacerdotis ſcilicet & duorum Clericorum, ſacrum ibi peragentium. Incurruntq; ſententiam excommunicationis peregrini, qui partes ſancti ſepulchri diripiunt. Quarè per Fratres montis Sion honeſtis viris dantur particulæ ex foramine ſiniſtri lateris ſanctiſsimi ſepulchri. *Sepulchrũ Domini.*

SEPTIMVM CAPVT.

Hoc glorioſiſsimum Dominici ſepulchri templum ſicut ſingulari gloria à Deo eſt clarificatum, ita ſumptuoſiſsimè & pulcherrimè à principibus Chriſtianis conſtructum, ornatum atq; ditatum plurimarum nationum fidei Chriſtianæ officijs ſanctis diu noctuq; frequentatur. Eſt enim hoc templum miræ altitudinis & amplitudinis, plurima (vt diximus) *Eiuſdem templum.*

loca ſancta includens,& ab vtriſq; lateribus multis ſacellis diſtinctum,vt infrà dicemus. Innititur columnis marmoreis ſeptuaginta tribus, ſingulis ſupra baſin triginta pedum altitudine eleuatis. In teſtudine artificioſæ picturæ mira colorum varietate viſuntur. Porrò in teſtudinis medio ſuper Domini Ieſu glorioſum ſepulchrum latè patet apertura rotunda miri (vt dicitur) effectus. Nam alij perhibent rorido cælo per hanc aperturam dulciſsimum manna ſuper Chriſti ſepulchrum ſæpè pluiſſe. Alij affirmant, ignem cœleſtem miniſterio Angelorum per hanc deſcendere ſolitum,a quo ſancti ſepulchri lampades fuerunt accenſæ, iuxta illud Propheticum: Cadet de cœlo ſuper vos globus ignis, à quo illuminabimini. Verùm hæc actis temporibus ob ſcelera PſeudoChriſtianorum Piſanorum, ad glorioſum ſepulchrum perpetrata ceſſauere,vt in antiquis geſtis cœnobij montis Sion,vetuſtis libris fuimus edocti. Aperturam hanc multi principes, pio zelo ducti, ſæpe clauſere argenteis vel aureis laminis, ſed altero die ſolito more patuit,remotis laminis Angelico myſterio, quoniam Prophetarum erat,forè ſepulchrum Chriſti glorioſum, ſicut paſsio fuit ignominioſa. Ideo ſacerrimus hic locus non ſolùm ſpiritalibus gratijs,atq; miraculis decoratur,ſed etiam militaris nobilitatis illuſtria dantur inſignia, quibus peregrini bonorum morum, atq; natalium, in milites Chriſti conſecrantur. Hoc ritu ſolenni primum interrogantur,num illegitimi ſint,an infames,criminoſi,aut ſuſpecti in fide. Secundò in ſacram Chriſti militiam conſcribuntur. Tertiò dant militare ſacramentum. Quartò baltheo militari cinguntur, pendente à fœmore gladio. Quintò exemptum enſem manu comprehendentes vibrant, dato iuramento per ſphæram capuli,crucem atq; mucronem, ſemper pro fide Catholica, iuſtitia & terræ ſanctæ laudibus ſe militaturos. Sextò aurata calcaria pedibus inſeruntur,vt parati ſint pro terra ſancta (ſi res poſtulat) equos aſcendere, vrgere ſonipedem,vt equites aurati digni ſint nominari. Pro his decem aurei coronati in vſum ſacri ſepulchri ſoluuntur. Origo autem huius ordinis militaris eſt ad ſepulturam Chriſti ſanctam, & honorificam memoriam, circa quam viri illuſtres & ſancti officioſi fuiſſe leguntur poſt mortem Chriſti in cruce. Nam Pilatus interrogato Centurione, ſi iam Chriſtus obijſſet, & cognito,iuſsit reddi

Iterata Piſanorum inſectatio.

Cæremonia inaugurationis Equitum Hieroſol:

reddi corpus. Centurio percuſſo pectore, verè filius Dei erat iſte, dixit, & corpus Chriſti honorificè ſepeliendum perſuaſit. Ioſeph ab Arimathia audacter corpus petijt, afferens mixturam myrrhæ & aloës. Nicodemus Magiſter in Iſrael, & amicus Chriſti occultus, Sindonem mundiſsimam attulit. Et ideò corpus precioſum de cruce depoſitum, aromatibus conditum, linteis inuolutum, aſsiſtentibus virgine glorioſa, & matronis nobilibus, in horto in monumento nouo, clauſo, ſignato, honorificentiſsimè ſepulturæ tradiderunt. Ecce origo militaris dignitatis, comparandæ ad Chriſti glorioſum ſepulchrum. Reſtat ergò, hos milites ſacros eiuſdem & maioris eſſe dignitatis, cuius ſunt reliqui milites, eò quòd hi vel ex progenie, vel vnius bello periculo hunc ordinem conſequuntur: illi autem ex multis laborib⁹, periculis & ſumptibus ſuffragante pijſsima cauſa, militaris ordinis conſequuntur inſignia. Meritò ergò eiſdem & potioribus priuilegijs gaudent, inter quæ eſt, quod nuper ex terra ſancta reuerſi, ſi quod corpus ſuſpenſum patibulo in via repererit, exempto gladio funem præſcindere poſſunt, & vt ſepulturæ mandetur, imperare. *Ordinis eius prærogatiua.*

TOMVS OCTAVVS

DE SACELLIS TEMPLI SANCTI SEPVLCHRI, DE VARIIS NATIONIBVS CHRISTIANORVM IN TEMplo, & eorum ſacris, de alijs nationibus Chriſtianorum per Terram ſanctam, de comparatione Epiſcoporum Orientalium & Occidentalium, de ſpurcis moribus Agarenorum & Sarracenorum, de ſacellis in atrio templi, de [illegible] de prætorio Pilati & lithoſtrato, de gemina ſententia prolata in Chriſtum, de Templo Salomonis ſeriatim perdoces, continetq; capit. octo.

DEus noſter ſicut ante ſecula, teſte Dauid, ſalutem operatus eſt in medio terræ, ſcilicet in monte Caluariæ, ita ſuæ paſsionis virtutem in omnes nationes diffudit, dicente eodem Dauid: Non ſunt loquelæ neq; ſermones, &c. In hoc enim ſacro templo Dominici ſepulchri variæ ſunt nationes, ſuis ſacellis diſcretæ, quarum Cœnobia per terram ſanctam & finitimas regiones habentur in magno numero, licet diuerſis ritibus Chriſto famulantes. Et hæ ſingulis ſeptimanis ſucceſsiuè & viciſsim ſacra myſteria peragunt in templo Dominici ſepulchri.

Latini. Prima natio eſt Latinorum, videlicet Fratrum ſancti Franciſci, quorum conuentus eſt in monte Sion, & hi tenent capellam virginis Mariæ. Hi primi ſunt nomine ob dignitatem Eccleſiæ Romanæ. Fateor enim coram Chriſto Deo, me non reperiſſe ibidem laxioris vitæ Chriſtianos, quàm Latinæ nationis, quod vnde accidat, neſcio, niſi fortè quòd omnium Romani imperij terrarum ob ſcelera facti profugi, terram ſanctam, vt legum pœnas euadant, & liberè vitijs indulgeant, accedunt. Cœlum planè ac ſolum mutantes, minimè animum. Horum vitia ac mores ſubticebo.

Græci. Natio ſecunda eſt Græcorum, ex pane azymo conſecrantium. Hi varijs ritibus & opinionibus diſcordant ab occidentali Eccleſia. Videntur tamen miræ deuotionis in ſacris officijs, & magnæ abſtinentiæ. Horum Prælati omnes ſunt Monachi, qui magnæ ſunt apud eos venerationis. Habent ſuum Patriarcham, nihilominus Romanum Pontificem venerantur. In-

ἐποχή. ter Latinos & Græcos magna eſt de rebus fidei controuerſia. [redacted]

[redacted] Tertia natio eſt Iacobitarum, dicta à Iacobo, diſcipulo Patriarchæ Alexandrinæ Eccleſiæ. Hi occupant magnam partem

Aſiæ, & conuallem Mambre vſq; ad Ægyptum, & Æthiopiam vſq; ad Indiam, ita vt credantur quadraginta regna tenere ſub iugo. Hi circumciſionem ſuſcipiunt, baptizantur in igne, accipientes characterem in fronte ferro ignito in modum crucis. Soli Deo confitentur, in Chriſto vnam tantùm naturam prædicant, ſcilicet diuinam, vtuntur lingua Chaldæa, & Arabica, condemnati fuerunt in concilio Chalcedonenſi. Videntur autem deuoti ac ſimplices victu ac veſtitu: nam per Quadrageſimam nec oleo vtuntur nec piſcibus. Conficiunt in azymo, ingrediuntur templa erectis ad Dei honorem vexillis.

Circumciſio Baptiſmo copulata.

Confeſſio.

Quarta natio eſt Neſtorianorum, quo denominantur à Neſtorio hæretico Conſtantinopolitano. Hi ponunt in Chriſto duas perſonas, vnam diuinam, alteram humanam, negant Diuam virginem Dei genitricem, conficiunt in fermentato, habitant Tartariam & Indiam maiorem, incolunt montem Libani propter Ithuræam regionem. Reputati autem ſunt ſchiſmatici in Synodo Epheſina. Sermone vtuntur Chaldæo & Arabico, in multis alijs ſimiles Iacobitis.

Neſtoriani.

Quinta natio eſt Armeniorum, qui Armeniam incolunt propè Antiochiam. Hi videntur boni ac ſimplices, vtuntur officio ſicut Latini. Hi cùm habeant linguam proptiam & literatam, ea vtuntur in ſacris. Prælatos habent omnes Monachos, Seculares verò Præsbyteri minimè honorati ſunt. Campanis carent vt Græci, conuocant populum ad ſacra crepitaculis, vt nos facimus in hebdomada ſancta. Sunt apud eos Vatrapetæ, qui eis ſacram ſcripturam interpretantur. Sacerdotes ſeculares vxores ducunt, à die Lunæ vſq; ad Veneris diem minimè celebrant Miſſam, vt matrimonio vacent. In diuinis vulgari ſermone vtuntur, vt ab omnibus intelligantur. Adulteri graui multa puniũtur. Hi à communi plebe diſcernuntur albo paniculo, quem humeris & collo circumdant. Parui furti rei caſtrantur, ne filios gignant paternorum criminum ſectatores. Caſtrati prò Eunuchis ſeruiunt in ædibus magnatum. Doctores Grecos, Athanaſiũ, Baſilium, Chryſoſtomum, Nazianzenum mirè obſeruant. In templis nil agunt aliud, quàm orant, corpus Chriſti inter thuribula & Cherubin deuotiſsimè leuant, atq; adorant, dulces hymnos, perſonantes.

Armenij.

Veſtitu

Veſtitu vtuntur vili atq; vulgari, adeò vt nec principes nec Reges precioſis vtantur. Hi primatem ſuum Catholicum vocant.

Georgiani. Sexta natio eſt Georgianorum. Hi à Beato Georgio nominantur, quoniam bellicoſi ſunt, & hoc patrono vtuntur. Habitant in partibus orientalibus, vtuntur lingua Græca in ſacramentis. Horum Clerici coronas habent rotundas in capite, vulgares verò quadratas. Georgiani iſti quando Hieroſolymam eunt peregrinatum, Sultano tributum non ſoluunt, ſed in Camelis, Dromedarijs & equis pompatricis venientes, erectis vexillis Hieroſolymam ingrediuntur. Horum fæminæ vt mares armatæ incedunt. Pileis vtuntur vt Turcæ cubito altis. Sultanus ac Turca eos valdè timent. Commorantur in finibus Medorum, Perſarum & Aſſyriorum

Suriani. Septima natio eſt Surianorum, qui à Sur, ciuitate Dei, denominantur. In ſermone vulgari vtuntur lingua Sarracenica, Græca in ſacris: nam & Græcorum ritus & opiniones ſectantur. Horum aliqui dicuntur Samaritani, nec Moyſi legem, nec Chriſti rectè tenentes, omnium planè miſerrimi atq; auari. Hi diſcernuntur cingulo lanæ nigræ & albæ, vnde Chriſtiani de zona beatæ virginis vocantur, quam dicunt ſe in pignus amoris à Diua virgine, aſcendente in cœlum, recepiſſe.

Chriſtiani de Zona D. Virginis.

CAPVT SECVNDVM.

FVernnt & aliæ priſtinis temporibus nationes in hoc templo ſancti ſepulchri, quæ propter cœli ſoliquè inconſuetam raritatem ad ſuas terras redierunt, inter quas ſunt INDIANI, quibus Preſbyter Ioannes dominatur, cuius ditio & imperium omnem poteſtatem fertur excellere, ita vt ſeptuaginta duos Reges habeat ſubiectos. Huic equitanti mirabili apparatu crux lignea præfertur, educenti exercitum duæ cruces præferuntur, vna aurea, alia ex gemmis precioſis, quibus intelligi datur, eum diuitijs & nobilitate omnes principes terræ excellere. Iſti corpus Diui Thomæ Apoſtoli mirabili veneratione proſequuntur, quem dicunt Chriſti præcepto Euangelium per Indiam prædicaſſe. MARONITÆ à Marone hæretico dicuntur, vnam tantùm in

Indiani. Presbyter Ioannes.

Maronitæ.

Chriſto

Chriſto voluntatem credentes. Conficiunt in azymo, Ritum in ſacris tenent more Græcorum, in vulgaribus Arabico ſermone vtuntur. Libyæ prouinciam incolunt circa caſtrum Arachas contra fontem hortorum in radicibus Libani. Ducenta millia hominum pugnatorum educunt in prælium, vtentes arcubus & lanceis. Principem ſibi præficiunt non viribus aut diuitijs, ſed virtutibus excellentem. Hunc vocant Senem de montanis. Imperia Sultani & Turcæ parui faciunt, ſuis legibus viuentes. Horum Prælati in cæremonijs valdè ſimiles ſunt Latinis. In concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio eorum Patriarcha obedientiam præſtitit Romanæ Eccleſiæ, ſed in concilio Conſtantinopolitano ſchiſmatici declarantur. MOZORABEI dicti ſunt, quod mores Chriſtianos cum Arabicis miſcent. In officijs ſacris lingua Latina vtuntur, obediunt Romanæ Eccleſiæ, in azymo conficiunt, in officijs diuinis valdè diſcrepant, dicentes plæraq; in fine, quæ nos in principio dicimus. Euchariſtiæ ſacramentum alij in ſeptem, alij in decem, diuidunt partes. Hi videntur valdè deuoti, & ſolis ſuæ nationis gentibus matrimonio iunguntur. Coniunx mortuo marito vidua manet. SARRACENI hominum genus ſpurciſsimum, adeò vt nomen falſum ſibi vendicârint: nam cùm ſint orti ab Iſmaële, filio ancillæ Agar, & ſpurio Abrahæ, profectò non merentur Sarraceni vocari, ſed Agareni: verè enim in eis videtur impleta prophetia de Iſmaële. Totam ferè occupant terram, Mahumeth prædicant, & legem eius obſeruant, Chriſtum maximum Prophetam dicunt, & hominem natum de virgine paupercula, paſſum negant, ideoq; loca paſsionis Chriſti irrident. Aſſerunt autem Chriſtum libito ſuæ voluntatis aſcendiſſe in cœlum, Mahumethem ſuum ad Dei ſiniſtram ſedere, vt aduocatum, & Chriſtum à dextris confitentur. Hi porcorum inſtar libidinibus obuoluuntur, tot ducentes vxores, quot poſſunt nutrire. Spurcitia, quam Sodomiticam vocant, eis pro riſu eſt, ita, vt lupanarium loco, ephebias conſtituant. Hi tot ſceleribus inuoluti, curiales tamen ſunt, hoſpitales, benefici in amicos, fideles in promiſsis. Primores gentis Turcæ vocantur, crebrò ſe lauant, vino abſtinent, cum magno eiulatu precantur. Porrò Mahumetani non illepidè elephantibus comparantur, quæ niuilunio in fluminibus ſe abluunt, &

Nota hic auctoris ἀ-visoρκσίαρ nam Senex da montanis Aſiſinus imperabat. Vide Borchardum.

Sarraceni.

Iudæi. mox integro menſe ad ſolita loca reuertuntur. IVDÆI quoque Hieroſolymis degunt magno planè ſuo dedecore: nullis enim ſacris, nullis legibus, nullo principe vtuntur, ſed in ſolo natali ab omnibus vt canes vili penduntur. Chriſtum negant, Meſſiam vaniſsime expectant, habent ſepulturam in valle Siloë prope reliquias eorum Prophetæ proditoris. Funera lugentur à conſanguineis nouem diebus, inter quos narrantur cum eiulatu mores defunctorum. Sabbathi diem à veſpera in veſperam colunt, ita vt nec quid emant, nec nummos tangant. In veſpera Veneris menſas parant pro ſabbatho, ne quid agere cogantur aliud quàm orare. Synagogam frequentant, in qua vetus Teſtamentũ declaratur. Sabbatho vltra mille paſſuum non ambulant, carnibus occiſis à Chriſtianis non veſcuntur, ſues non comedunt, nec lepores, ieiuniorum diebus vtuntur pane & aqua ante Solis Ortum, & poſt occaſum nil operantur. Sunt & aliarum nationum *Nubiani.* homines. NVBIANI & IAMENI, terram ſanctam incolentes, non tamen Hieroſolymis manent. Hi ſe Chriſtianos fatentur, & recepiſſe fidem à Beato Mattheo apoſtolo. Baptizant in igne, characterem crucis fronti imprimentes. In cæremonijs deuotiſsimi creduntur inter omnes orientales, palam omnibus Deo confitentur, in plæriſq; viuunt more Turcarum, vino tamen vtentes. Romanum Pontificem non audiunt, ſed inter ſe probatum virum eligunt, quem Preſbyterum legis appellant. Habitant in regione maris rubri. Sunt & alij populi MA- *Beduini.* DIANIANI vocati, aut BEDVINI. Hi tantam operam alendo pecori dant, vt inſtar paſtorum demorentur in tabernaculis, quæ pro paſtura pinguiore circumferunt per prata & rura, montes & colles. Bellicoſi ſunt, vtentes arcubus, gladijs & lanceis, veſtiuntur pellibus & pileo alto more Turcarum. Habitant circa flumen Iordanis à monte Libano vſq; ad deſertum Pharan.

TERTIVM CAPVT.

Palæſtina epitome omnium Chriſtiani. PLura de ritu & moribus nationum, in terra ſancta degentium, dicere poteram, niſi breuitati ſtuderem, & euitarem faſtidia. Certò enim credo, non eſſe nationem ſub cœlo, de qua in terra ſancta non ſit homo, adeò vt poſsit adhuc

adhuc verificari hoc tempore moderno,quod legimus de Hieroſolymis tempore primitiuæ Eccleſiæ in Actis Apoſtolorum, vbi dicitur: Erant autem viri religioſi, de omni natione, quæ ſub cœlo eſt,Parthi,Medi, Elamitæ,Cretes Arabes,aduenæ Romani &c. Præterea multum falluntur,qui credunt Orientem & Aſiam, à ſolis Turcis & infidelibus habitari, cum vbiq; reperiantur regiones, regna, prouinciæ, vrbes,agri, montes, deſerta agminibus Chriſtianorum repleri. Verùm de his ſatis ſuperq; dictum fuerit.Nunc reliqua ſacri templi ſancti ſepulchri expediamus. Ergò ante portam templi huius eſt lata area, magnis ſtrata lapidibus quadratis, in cuius circuitu multa viſuntur ſacella, ſacris pignoribus dedicata, inter quæ vnum eſt ſacellum Diuæ Mariæ Ægyptiacæ deſtinatum, quæ cùm viſitandi huius templi amorem concepiſſet, monita fuit ab Angelo,ne meretrix indigna ſacram ædem ingrederetur. Quæ mox ſoluta in lachrymas,& in toto corde contrita pœnitentiam egit,& ante imaginem virginis glorioſæ genu flexo, Angelicæ vocis conſolationem audiuit. Maria Ægyptia.

Secundum ſacellum in honorem Virginis glorioſæ & ſancti Ioannis Euangeliſtæ eſt erectum : in quo olim ipſa virgo Caluariæ montem ſumma cordis amaritudine contemplabatur.

Tertium ſacellum in honorem ſupernorum Spirituum & ſanctorum Angelorum eſt conſecratum, [illegible] dubitandum quòd patiente Chriſto totus Caluariæ mons, & eius circumferentia legionibus Angelorum fuerit frequentatus.

Quartum ſacellum Diuo Iohanni Baptiſtæ cedit,qui licet ſacroſanctæ paſsioni Ieſu cognati non interfuerit,quippe immatura morte præuentus per Herodem Tyrannum, virtutem tamen paſsionis ſenſit in limbo,& patribus declarauit.

Quintum ſacellum Magdalenæ, feruentiſsimæ Ieſu Chriſti amaſiæ, eſt conſecratum. Dictat enim ratio,vt quæ viuenti Chriſto tam præclara officia exhibuit,patientem vſq; ad Caluariæ montem ſecuta eſt, ſepultum quæſiuit cum aromatibus,& nunc in cœlo beata partem habet in templo ſui magiſtri.In huius areæ medio ante templum viſitur locus non ſine lachrimis, in quo Chriſtus ſancta crucis ſarcina oneratus, Caluariæ montem lachrymoſis oculis ſuſpexit,& ſuo tenerrimo corpori duri ſtrati cubile præparari audiuit.

Die Iouis 25. menſis Iulij prædicti hora matudina, comitantibus Turcis, ſancti ſepulchri templum egreſſi, ordine, quo venimus, iuimus pranſum, hora pomeridiana reliqua loca ſancta viſitaturi. Facto prandio, egreſsi à Xenodochio noſtro inter conuentum montis Sion & caſtrum Piſanum, templum ſumus ingreſsi, quod in honorem Diui Iacobi maioris eſt conſtructum, in quo ad ſiniſtram ingredientibus ſacellum, viſitur locus martyrij prædicti Apoſtoli. Hoc templum incolunt Armenij Chriſticolæ. Ibidem in ſtrata publica vidimus domum ſancti Bartholomæi Apoſtoli. Ibidem viſitauimus domum Monachi, vnius ex ſeptuaginta 2. Chriſti diſcipulis in qua poſt mortem ſancti Iacobi, Petroq; incarcerato, ceteri diſcipuli, orabant pro liberatione ipſius, in cuius domus loco conſtructa fuit prima Eccleſia Græcorum Chriſtianorum, & eſt ſedes Epiſcopalis, quam tenent Surienſes. Horum Epiſcopum oſculata manu ſalutantes, inuenimus operantē in ſerico, [redacted] Si quò eundum eſt, exemplo Chriſti aſina aut ſubiugali vehuntur, vno famulo comitante, memores verborum Ieſu dicentis: Non eſt ſeruus maior domino ſuo, nec Apoſtolus maior eo, qui miſit illum. Si quò eundum eſt, lignea crux præfertur. Porrò aurum, argentum, equi, veſtes præcioſæ, omnia hæc vel non habentur, vel in pauperum vſus diſtribuuntur. Raró videas Epiſcopum quempiam extra fines ſuæ diœceſis moram trahere. At hæc vt Epiſcoporum Occidentis moribus reſpondeant, teſtis eſt orbis catholicus. Nam & ipſi, proh dolor ſcimus, omnium ſacrorum vim apud nos in auro, argento gemmis & pompis conſtitutam, & adeò hic peſtifer morbus inualuit, vt ſi videas Epiſcopum in Occidente aſino inſidentem, & cruce lignea, nullo famulitio, nullis annulis aureis, nullis holoſericis, nullis gemmis ornatū, ſacra peragere. Ridiculum

Caſtrum Piſanum.

Prima Eccleſia Græcorum.

Epiſcoporum Orientalium modeſtia.

Occidentalium luxus.

lum credas omne, quod geritur. Sed verè qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Vos autem Epiſcopi occidentis, vos interim dicite Pontifices, in frenò quid facit aurum. Hinc progreſsi ſumus ad ſanctæ vrbis portam ferream, quæ Petro vinculis ſoluto, patuit Angelico ductu. Carcer autem ſancti Petri erat tunc temporis extra ciuitatem, domus autem præcincta, erat intra mœnia vrbis. Quare Petrus non eſt vrbe egreſſus, vt multi credunt, & prædicant, ſed ipſam ingreſſus. Porta hæc nunc muris vrbis cingitur, cuius adhuc arcus ſemirupti extant. *Carcer Petri Apoſtoli.*

Promouentes hinc, acceſsimus ad portam auream contra Auſtrum ſuper torrente Cedron, quæ ſita eſt ante atrium templi Salomonis, vt templi potius quàm vrbis porta, nuncupetur, & nunc muro vrbis incluſa eſt vndiq;. Per hanc itur ad vallem Ioſaphat & montem Oliuarum. Sed per eam ingreſſus in templum minimè patet Chriſtianis, ſtatuto capitali vetante, quo edicitur capitis reus, ipſum templum ingrediens, aut cogitur fidem Chriſti abnegare. Iuxta hanc portam à latere dextro eſt portula quædam, interpoſitione columnæ à porta magna diſcreta, per quam Chriſtus in die Palmarum humili & ſolenni pompa ingreſſus eſt templum. Heraclius autem de Coſdroe cæſo triumphans, & partem ligni crucis ſuperbo equo vectitans dum Cæſareo apparatu hanc portam vult ingredi, magno miraculo parietes portæ coniunguntur, atq; clauduntur. Sed Angelus imminens mœnibus, clara voce dixit: Ieſus, cœli & terræ rex, longe alia ſpecie hanc portam dudum intrauit: tu ergò ſi portam hanc vis ingredi, ſeruus Domini exemplum imitare. Quo audito pius princeps equo deſcendit, coronam imperialem depoſuit, auream chlamydem exuit & Sindone veſtitus, nudis plantis & capite, lignum crucis ſacroſanctum ſuſtinens Cæſareo humero, pulchræ humilitatis typo templum ingreſſus eſt, patentibus valuis in priſtina forma. Plena. ✠. *Porta aurea.* *Legenda Heraclij Cæſ.*

CAPVT QVINTVM.

PRogredientes venimus ad portam ſpecioſam, per quam itur à Hieruſalem in Bethaniam, in Hiericho & ad Iordanem. In hac porta Petrus aſcendens in templum, rogatus eleemoſynam ab Ænea paralitico, re- *Porta ſpecioſa.*

 litico, re-

ſpondit: Ænea frater, aurum & argentū non habeo, quod autem habeo, tibi do: in nomini Domini I E S V, ſurge, & ambula, memor verbi Ieſu: gratis accepiſtis, & gratis date. [redacted] Porrò per hanc portam minimè Chriſtianis permittitur tranſitus: quia eſt ex portis palatijs Salomonis. Inſiſtentes itineri, & præ aëris æſtu valdè fatigati, quinetiam multis affecti iniurijs, muniti patientia, peruenimus ad portam fontis Siloë, ab Auſtro ſuper torrentem Cedron ſitam in valle media inter montem Sion & montem templi, quæ dicitur porta aquarum. Ab hac porta itur primò ad fontem Siloë, ſecundò ad vallem Gehennon, tertiò ad hortum regis, quartò ad agrum Akeldama. Porta hæc antiquitus dicebatur porta octaua: ſacræ enim vrbis ſitus propter loca abrupta non admiſit plures portas. Inde proſequentes iter in angulo vrbs ſuper torrentem Cedron verſus Orientem, peruenimus ad portam Beniamin, eò quod per hanc itur in Anathot in deſertum, & ad vrbes tribus Beniamin: per hanc etiam portam inuehebantur ligna pinea vrbi de Carmelo, & etiam quarta porta dicebatur. Interuallo abhinc modico ventum eſt ad Sterquilinij portam ſuper torrentem Cedron, per quam omnes ſordes ſanctæ vrbis in torrentem Cedron decurrebant. Per hanc iter patet in deſertum Beniamin, habet domunculas humiles, & habitatores pauperes in vicinia. Inde procedentes, peruenimus ad portam Dauid verſus montem Sion, quæ antiquitus porta vrbis dicebatur. Ante hanc portam latè patent duæ voragines, vna ad Aquilonem, altera ad Orientem, & extra eam arbor funeſta viſitur, in qua informis lethi nodum nectens Iudas Iſcharioth ſuſpendio perijt. Hæc porta olim piſcium dicebatur, & per eam via patebat in Ioppe, Dioſpolin, & maritima, à quibus piſces vrbi afferrebantur. Et ingrediuntur vrbem per hanc omnes peregrini Occidentales. Dicebatur & olim hæc porta negotiorum, eò quod per eam tranſitus erat in Bethlehem, Hebron, Gazam, Ægyptum & Æthiopiam. Cæterum via hæc tendebat per agrum fullonis in montem Sion, vt à ſiniſtris iter eſſet in Hebron, à dextris verò in Ioppen, Vnde paruo interuallo capiebatur iter verſus Gazam atq; Ægyptum, ex quibus precioſę merces inferebantur vrbi Solymorum. Eſt & alia porta gregis contra

Porta aquarum.

Beniaminiana.

Dauidica.

Gregalis.

tra Auſtrum ſuper torrentem Cedron, inde dicta, quod animalia immolaticia per hanc in templum ducebantur, loca primùm in piſcina probatica, quæ & inde nomen ſortitur. Vocatur etiam porta vallis, quia per hanc iter patet ad vallem Ioſaphat iuxta ſepulchrum virginis glorioſæ, quod diſtat ab ea iactu lapidis. Propè hanc portam viſitur turris Phaſel ab Herode rege conſtructa, ante quam fons ſcaturit Draconis. Sed riuuli fontis per canales non fluunt in templum ſepulchri virgiuis glorioſæ. Non longè hinc patet porta Ephraim, ducens ad montem Ephraim, olim dicta ſancti Stephani, hic ſcilicet lapidati. Hac itur in Samariam & Galilæam, & propè eam lapis eſt, ſuper quem Saulus ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, lapidantium veſtes ſeruabat. De porta iudiciaria inferius dicetur. *Ephraimitica.*

SEXTVM CAPVT.

Piſcina probatica à lotione gregum dicta, cuius ſuprà meminimus, ampla eſt & longa, muro templi contigua. In hac merſum dicitur lignum ſanctæ crucis, quod ponticuli loco erat euntibus per torrentem Cedron, donec regina Sæba hac tranſiens in Hieruſalem per Spiritum cognouit crucis myſterium, & Salomoni reuelauit, qui trabem inde tollens, iuſsit mergi in piſcinam, & inde piſcinæ vis ſanatiua dicitur proueniſſe, donec paſsionis tempore hoc lignum ſupernatans pro arbore ſanctæ crucis Ieſu membris ornandum fuit extractum. Progreſsi autem mox venimus ad domum Simonis Phariſæi, in qua miris officijs amoris peccatrix illa euangelica Ieſum ſuum, in medio Phariſæorum reſitendem, lauit lachrymis, terſit capillis, oſculata eſt labijs, & vnxit vnguento, omnium peccatorum largam remiſsionem ſummi Pontificis Ieſu Nazareni orę promulgatam reportans. Hæc domus licet ſit inhabitabilis & clauſa, ſtat tamen erecta ſuis parietibus. Hinc non longè eſt domus diuitis epulonis, ante quam Lazarus ille Euangelicus fame & morbo elanguit, domus quidem olim alta muris, ſed inops virtutum, quam ingredi minimò permiſsi ſumus, obſtantibus Turcis. Hinc conſtat Euangelium de diuide Epulone & Lazaro vlceroſo hiſtoriam eſſe non parabolam. *Piſcina probatica.* *Simonis Phariſei domus.* *Lazarus.*

Paululum

paululum progreſsi venimus ad locum, in quo virgo glorioſa videns filium innocentem oneratum cruce,& repletum opprobrijs,ſpiritu fertur defeciſſe, quo loco olim templum fuit Mariæ, de ſpaſmo nuncupatum, nunc autem proh pudor factum eſt Turcis ſtabulum equorum. Venimus deinde ad illuſtrem domum Ioachim & Annæ,in qua Diua virgo concepta fuit,& educata annis teneræ ætatis ſuæ. Hæc domus,heu dolor,Turcis habetur pro Meſquita,& nos vidimus veteranum Mahumetiſtam cum ſexaginta ſcortis illic mœchantem: nec vllo præcio,vt ingredimur,potuimus obtinere.

Dom⁹ parentum Mariæ.

SEPTIMVM CAPVT.

Pilati & Herodis.

PEregrinantes inde cum multa deuotione acceſsimus Pilati domum,quæ amplior eſt & pulchrior omnibus ædibus vrbis,propè quam adiacet domus Herodis. Has domos in præſentia habitat Turca,qui Hieroſolymis dominatur,vbi viſitur locus,in quo Pilatus volens dimittere Chriſtum, tandem vt placeret turbæ,iuſsit eum flagellari,corronari,illudi. Hoc loco olim in venerationem tantarum pœnarum templum fuit extructum valdè decorum.Nunc autem eſt ſtabulum equorum. Porrò à celſiori latere domus Pilati iuxta triuium viſitur arcus lapideus,à tempore paſsionis Chriſti durans ad præſens, in quo duæ ſunt feneſtræ, quarum vnam Pilatus tenuit,& ex altera Chriſtum flagellatum,coronatum,illuſum principibus Iudæorum & populo oſtendit,dicens: Ecce homo. Hic hic locus eſt æterna memoria dignus Prætorij præſidis, dictus Lithoſtrotos Græcè,Hebraicè Galbata,ad quem Chriſtus crucis patibulo condemnandus, per gradus aſcendit marmoreos, qui Romam tranſlati præ foribus templi Lateranenſis magna veniarum prærogatiua genibus ſcanduntur. Hos Chriſtus aſcendens, piè & humiliter pro nobis ſententiam crucis acceptauit,& inde per portam iudiciariam vicinam, ad Caluariæ montem, crucem proprijs humeris extulit. Proinde ſciendum, quod reiecto errore Lactantij Firmiani, *dicentis, Pilatum non protuliſſe ſententiam mortis in Chriſtum,vt ex vetuſtis annalibus prolatum inuenimus, Pilatus duas in Chriſtum ſententias

λιθόστρωτος.

* *Inſtitut. lib.4. cap. 18.*

protulit,

protulit, minorem flagellationis, maiorem verò crucifixionis. Forma ſententiæ minoris vera hæc eſt: Ieſum Nazarenum, virum ſeditioſum, & Moſaicæ legis contemptorem, per Pontifices & principes ſuæ gentis accuſatum, expoliate, ligate, & virgis cædite. I lictor expedi virgas. Sententiæ maioris forma eſt: Ieſum Nazarenum ſubuerſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſsiam, vt maiorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, educite ad communis ſupplicij locum, & cum ludibrio regiæ maieſtatis in medio duorum latronum cruci affigite. I lictor, expedi cruces. Falſa eſt ergò omninò vulgaris illa & inepta ſententia, quæ incipit: Nos Pontius Pilatus, &c. Non longè ab hoc loco oſtenditur domus, dicta Schola virginis Mariæ, quod in ea per teneram ætatem literas virgo didicerit. Deinde tranſeuntes ad triuium, venimus ad locum, in quo Chriſtus, baiulans crucem, dicitur cecidiſſe. Quare milites hîc angariauerunt Simonem Cyreneum, vt portaret crucem poſt Ieſum. Propè etiam eſt locus, in quo Chriſtus piè ſe vertit ad mulieres lachrymantes, dicens: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, &c. Hîc quondam fuit extructa Eccleſia in honorem tantorum myſteriorum, cuius nunc nec veſtigia quidem apparent. In hoc itinere eſt domus humilis ſanctæ Veronicę, quæ explicito linteo perpetuæ memoriæ effigiem ſanctiſsimæ faciei Ieſu Chriſti recipere meruit. Peplum hoc Romæ in Eccleſia ſancti Petri grandi honore ſeruatur, quod videntes nullam deinceps oculorum caliginem pati dicuntur.

Formula ſententiarum in Chriſtum à Pilato latarum

Schola Mariæ.

Velum Veronicæ.

OCTAVVM CAPVT.

Viſitatis per nos locis in vrbe, ſacris locis dico Chriſti ſacramentis, & nouæ legis myſterijs inſignitis, & peregrinationis ordo, & noſtra deuotio, vt templum Salomonis viſitaremus, expoſcere videbantur; ſed obſtitit ferale Sarraceniſmi decretum, ne ingrederemur, vt dictum eſt: Libet tamen de hoc templo hîc nonnulla inſerere, ne opus noſtrum mutilum iudicetur, aut lector concepta ſpe fraudetur. Templum igitur hoc toto orbe olim famoſum fuit, vt merito inter ſeptem orbis ſpectacula nu-

Templum Salomonis.

merari poſſet ad quod omnes reges dona mittebant, adeò vt præ ſui gloria crebrò deſtructum fuerit, & reparatum. Nam Dauid expenſas & materiam Salomon filio præparauit,ſed quia vir ſanguinum erat, indignus eſt habitus,qui hoc templum erigeret, donec Salomon Rex pacificus miro ſumptu,operarijs penè innumeris, ipſum templum extrueret,cui ſimile non eſſet in orbe terrarum. Verùm hoc templum deſtructum fuit per reges Medorum atq; Perſarum, & per Zorobabel, Nehemiam, & Eſdran reſtitutum. Fuit etiam per reges Græcorum,& Aſiæ,turpiter violatum & ſpoliatum, & per Macchabæos duces mundatum & conſecratum. Deinde obſidentibus Hieroſolymam Romanis ducibus,Tito & Veſpaſiano,funditus euerſum,vt verificaretur ſermo magni Prophetæ Ieſu Nazareni,longè antè dicentis Solymæ & habitatoribus eius: Non relinquetur in te lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Imperatores enim Romani non ſolùm templum diruerunt, ſed etiam montem,cui templum innixum erat, in planiciem redegerunt, eiecta terra in torrentem Cedron, ne vrbs præſidio montis & templi confiſa, Romanis amplius rebellis eſſet. Hoc templum, quod nunc viſitur,prioribus multum diſsimile eſt, licet ampliſsimum ſit & ſumptuoſiſſimum. Huic templo præiacet ara quadrata, habens in longum & latum iactum arcus, & ipſa templi ſtructura intus & extra mirè ſpacioſa & ſpecioſa. Porrò curioſius hoc templum deſcribere non magni retulerit,tum quòd nos Chriſtiani interiora eius videre prohibemur, tum quod ſpurcitia ritus Mahumetici tantum ſordet, vt omnis eius gloria offuſcetur. In hoc autem miror Dei iudicium,quòd Iudæi adhuc ſuum Meſsiam expectantes,errorem non videant,quòd ſcilicet terra promiſsionis extorres,regno priuati,& quòd maximum eſt deploratę damnationis argumentum, ab hoc templo,quò vnicè gloriari ſolent,velut canes excluduntur.Vnde hoc,niſi quia Chriſtum,verum Meſsiam, & ſummum ſacerdotum,è templo excluſerunt, & quaſi templi deſtructorem falſiſsimè accuſârunt? Petierunt Barrabam latronem, & vbiq; terrarũ latronem ſuum inueniunt,imprecati ſunt capitibus ſuis vltionem ſanguinis innocentis,& ſequitur eos fœdus ſanguis non ſolum menſtruus,vt mulieres,ſed & hebdomadarius, vt prophanos & ſacrilegos, quia etiam ſciſſo per mortem

Obſtinata Iudæorum impietas.

Chriſti

Chriſti velo templi, omnia ſacra ab eis receſſerunt. Suntq́; toto orbe profugi, prophani atq́; proſcripti: vt verus fiat ſermo Chriſti dicentis: Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta, & non me videbitis, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

TOMVS NONVS

DE VALLE IOSAPHAT, DE TORRENTE CEDRON, DE SEPVLCHRO VIRGINIS GLORIOSÆ, DE

Gethſemani & Bethphage pagis, de probatica piſcina, de monte Oliueti, de Bethania illuſtri, de Hiericho, & roſetis, & monte Quarentanè, de Decapoli & Galilæa, de Iordane & mare mortuo, de Nazareth inclyta, & monte Thabor, de Pentapoli & ſtatua ſalis, de Cana, Tiberiade, Chorozaim, Bethſaida, Bethulia, Tyro & Sidone, pulcherrimè docet, continetq́; cap. 10.

CAPVT PRIMVM.

Veneris die eiuſdem menſis Iulij 26. ſummo diluculo conſurgentes, loca Iordanis & reliquæ illius regionis inſignia viſitauimus. Principiò deſcendentes de monte Sion venimus ad locum obitu virginis glorioſæ inſignem, in quo obſtinati Iudæi conati ſunt impedire virginei corpuſculi ſepulturam, quando furibundi accurrentes ad feretrum, arefactis membris ſunt abſterriti, ac pœnitentes per Apoſtolos conuerſi ſunt, & ſanati. In hoc loco ſacellum erat, nunc diruptum. Propè adeſt locus, in quo Petrus Apoſtolus trinæ negationis peccatum amara pœnitentia expiauit. Hic etiam quondam fuit ſacellum extructum, nunc funditus euerſum. Hinc properantes ad famoſum torrentem Cedron

Legenda de ſepultura D. Virginis.

peruenimus,qui fluit per mediam vallem Ioſaphat vſque in vallem Siloë, ita vt inter geminas valles ſub ponticulo lapideo,vno arcu erecto,torrens decurrat,per quem Chriſtus tranſijt oraturus in Oliueto. Ibi propè ſepulchra regum Iuda viſuntur,licet corpora alibi requieſcant,teſtante ſacra ſcriptura. Notatu dignum, lector,quod ſepulchrum Ioſeph,ſponſi virginis glorioſę,hîc monſtratur, ſed corpus nuſpiam inuenitur,vnde conijcere licet,hunc ſanctum Patriarcham cum reliquis patribus,moriente Chriſto, reſurrexiſſe, & aſcendiſſe in cœlum, tametſi de eius obitu nil referat ſcriptura. Vallis autem Ioſaphat ambit ciuitatem ſanctam ab Oriente, quæ licet per Romanos principes fuerit terra repleta (vt tradit Ioſephus) eſt tamen hoc tempore ſatis profunda. Hinc ambulantibus per quinquaginta paſſus ad Meridiem patet locus, in quo ſanctus Iacobus minor, Ieſu capto, ſe abſcondit, dicens, ſe inde non exiturum, nec comeſturum panem,donec Chriſtus reſurgeret. Eſt & ibidem ſepulchrum Zachariæ, filij Barachiæ,qui occiſus fuit inter templum & altare. Paulum inde vinea eſt, in cuius loco Angelus olim elatam palmam decerpſit, quam perferens virgini glorioſæ, obitum die tertia affuturum cum ſummo gaudio nunciauit. Hinc ordine præcedentes in ipſa valle vidimus templum inferius,ita vt in illud deſcendatur gradibus quadraginta nouem,in cuius medio ſepulchrum eſt virginis glorioſæ, inſtar ſepulchri Chriſti per omnia factum, niſi quòd crypta ipſius ſepulchri duabus ianuis patet vtrinq;. Hoc ingredientes templum (Deum immortalem)quantam mox ſenſimus odoris fragrantiam? ego autem in ſtuporem verſus,id Canticorum partim mente, partim voce occinui: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi,ſicut aurora conſurgens in cubilibus, & in hortis aromatum? Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum,& lilia conuallium. Illa autem vt eſt plena gratiarum,pulchræ dilectionis,& ſanctæ ſpei,viſa eſt mihi virginea voce reſpondere: quaſi Cedrus exaltata ſum in Cades,& quaſi Cypreſſus in monte Sion,& quaſi plantatio roſæ in Hiericho, & quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam,odor meus quaſi Terebinthi, & omnes rami mei honoris & gratiæ, & ego ſicut Cinamomum & Balſamum aromatizans dedi ſuauitatem odoris. Eſt enim tantæ virginis ſepulchrum

Mauſolea regum Iud.

Vallis Ioſaphat.

Sepulchrũ D. Virginis.

chrum marmoreum, nedum nobis peregrinis, ſed & Angelis, Turcis perfidis & Sarracenis ſummè venerabile, in quo nullas, Chriſtiane frater, quære ſanctiſsimi corporis reliquias, quando fides habet, & Eccleſia cantat, eam cum Chriſto beata immortalitate potiri, & in corpore & anima ſuper omnes Angelorum choros eleuatam. In hoc templo ad ſiniſtram eſt ſepulchrum ſanctæ Annæ, cuius corpuſculum apud Lugdunum in inſula, quam Barbaram vocant, conſtanter dicitur aſſeruari. A dextris ſepulchrum eſt Diui Ioachim. Hic fons Draconis ſcaturit, vt vocat Nehemias. Non longè ab hoc loco illuſtris ille locus eſt, vbi beatiſsima anima illa virginis glorioſæ, reſumpto immaculato corpuſculo, cœlos coronanda aſcendit, comitante filio, & omni cœleſti militia famulante vocanteq; ab altiſsimis patre cœleſti: Veni de Libano filia mea dilecta, veni coronaberis. Illa autem, ibo (inquit) ad montem myrrhæ, & ad collos thuris, loquar dilecto meo: & aſcendens zonam, pij amoris pignus, reliquit Diuo Thomæ Apoſtolo. Hanc zonam certi homines Chriſtiani mirè colunt, &, quod creditur, non citra ſuperſtitionem: vnde Chriſtiani de Zona vocantur, & albo panniculo ab alijs diſtinguuntur. Olim hîc templum erat erectum, ſed nunc diruptum.

Item Annæ & Ioachimi.

Chriſtiani de Zona.

CAPVT SECVNDVM.

AB hoc ſubterraneo Diuæ virginis templo per quinquaginta paſſus Gethſemani villa eſt, in qua eſt hortus, in quem Chriſtus tranſmiſſo torrente Cedron, patrem oraturus, intrauit. Locus hic eſt in latere montis Olineti, adhærens cuidam rupi concauæ de monte pendenti, in qua ſederunt diſcipuli, cum dixit eis Dominus: Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem. Et adhuc patet locus ſeſsionis eorum, patet & ibidem locus, in quo Ieſus Iuda oſculo traditus fuit, tentus à turbis. Videntur lineamenta verticis & capillorum eius in rupe pendente, & digitorum impreſsio apparet, cùm hæc ſacris manibus Chriſti crux traheretur à turbis. Mirum dictu, quòd ab hoc lapide nil radi poteſt, vel ſculpi ferreis inſtrumentis, cùm facilè ceſſerit Chriſti manibus inſtar ceræ, vt probant veſtigia. A Gethſameni verſus Auſtrum

Gethſemani.

quantum iactus eſt lapidis,locus eſt ſacratiſsimus,in quo pientiſ-ſimus Ieſus, auulſus à fratribus, orauit patrem primò, ſecundò, & tertiò, triſtis, pauens, tædio affectus, mœſtus, agonizans, & precioſum ſanguinem ſudans,decurrentem in terram,& hic lapis retinet impreſſas figuras manuum Chriſti & genuum. Credas, lector Catholice, hanc cryptam non arte, neq; natura ſed gratiæ cœleſtis artificio eſſe formatam,ita vt dignum ſit credere,ſanctum ſanctorum merito poſſe vocari vt riuulos precioſiſſimi ſanguinis de toto corpore Ieſu benedicti inſtar torrentium de montibus decurrentes. Propè hunc locum ſepulchrum eſt Ioſaphat, regis Iuda, pulchra Pyramide inſignitum,è regione Salomonis templi, & inde vallis ſortita eſt nomen illud famoſum, vt dicatur in ſcripturis & hiſtorijs vallis Ioſaphat, in qua generale iudicium creditur futurum,dicente Propheta in perſona Dei: Congregabo omnes gentes in vallem Ioſaphat, & ibi diſceptabo cum eis. Ab hac valle illuſtri apricante Sole aſcendimus montem Olíueti excelſum magnis planè laboribus & ſudoribus, in cuius cacumine, primùm vidimus domunculam,in qua glorioſa virgo, ſolita in montana tranſcendere cum feſtinatione, multis annis poſt Chriſti aſcenſionẽ dicitur vitam contemplatiuam,& optimam partem,quæ non auferretur ab ea,duxiſſe. Extat ibidem porticus quædam his diebus in perpetuam rei memoriam.Pau'u'o interuallo locus inſignis viſitur,in quo diſcipuli rogantes Ieſum, dixêre: Domine, doce nos orare. At pius magiſter primum quidem orationem Dominicam,quam vocamus, protulit, dicens, ſic orabitis: Pater noſter, &c. Deinde hanc ipſam ſacratiſsimam orationem in petra exaratam reliquit,cuius rei teſtes ſunt omnes peregrini. Inde mouentibus locus ille ſubijcitur oculis, in quo poſt aſcenſionem Chriſti miſſo Spiritu ſancto, Apoſtoli congregati catholicæ fidei ſymbolum articulatim ediderunt, inchoante Petro,Credo in Deum Patrem omnipotentem, &c. In hoc loco olim ſacellum pulchrum in honorem Diui Marci fuit erectum: cuius hodie veſtigia cernuntur.

Mauſoleum Ioſaphati.

Mons Oliueti.

Symbolum Apoſtol:

CAPVT TERTIVM.

Pedeten-

PEdetentim ingredientes venimus medico interuallo ad locum, in quo accedentes ad Chriſtum diſcipuli, dixerunt: Magiſter, aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ. Et reſpondente Chriſto de vrbis & templi excidio, illi quærebant ſigna futuri iudicij, quo in loco eſt iter magnum, & ciſterna profunda, iuxta quam olim fuit pulchrum templum, nunc diruptum. Inſuper in dicti montis cacumine viſitur antrum, in quo famoſa peccatrix, & formoſa meretrix, Pelagia, exegit pœnitentiam ſalutarem, ibidem ſepulta. Porrò locum hunc nullus peccato mortali grauatus poteſt penetrare. Nos autem Dei miſericordia freti, viſitauimus locum humiliter & deuotè. Hinc hinc ſequenter in altioribus montis ſacri eſt locus (heu nos miſeros mortales) non citra lachrymas referendus, locus in quo pientiſsimus, ille generis humani Saluator, Meſsias, Emanuel, Ieſus Nazarenus, poſt patratam mundi ſalutem ſpacio annorum triginta trium, poſt declaratum reſurrectionis altum myſterium quadraginta diebus, præſente ſchola militantis Eccleſiæ, firmatis Euangelij legibus, videntibus amicis in altum eleuatus eſt, & ſuſcipiente nube, extenta ad benedictionem manu, valedicens amicis, pius victor alta cœlorum penetrauit, miſsis duobus viris, qui in veſte alba deſolatam ſcholam conſolarentur dicentes: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. In tanti myſterij æternam memoriam viſuntur glorioſorum Ieſu pedum veſtigia petræ impreſſa, extititq; olim templum tanta memoria dignum, nunc proh pudor diruptum & euerſum. Rem dicam, fidelis lector, omnibus perfidis admirandam, nullis fidelibus dubiam, à loco veſtigiorum benedicti Ieſu ſuſpicientibus in cœlum, linea velut perpendiculari apertura quædam ætheręæ regionis luminoſa apparet, patente hinc inde cœlo velut conſciſſis marginibus. Quamobrem putas Chriſtiane frater? niſi vt pateat Chriſti famulis via, qua glorioſus Dominus Ieſus, olim ingreſſus eſt. Quod ſi ad latum (vt dicitur) vnguem locum mutaueris; via tibi clauditur cæleſtis viſionis. Inter reliqua montis Oliueti inſignia loca, ſingularis eſt pagus Bethphage ad pe-

S. Pelagia.

Aſcenſio Chriſti in cœlum.

Bethphage.

ad pedem inclyti montis Oliueti. Hic enim locus eſt, vnde Chriſtus mittens Petrum & Philippum iuſsit adduci aſinam & pullum ſubiugalis, quibus adductis, & Apoſtolorum ſubſtratis veſtibus, Ieſus Nazarenus, manſuetus rex, iuxta vaticinium Zachariæ, Hieroſolymam properauit, exceptus clamore turbæ, honoratus hymno puerili, Oſianna: cæſis & ſtratis frondibus, diſpaſſis veſtibus, ſacroſanctam vrbem humilis triumphator ingreſſus eſt. In memoriam tanti myſterij his diebus viſuntur ſummo miraculo tredecim oleæ ordine plantatæ, duodecim Apoſtolorum & Chriſti illuſtres typos referentes, quas refert antiquitas ab illis duraſſe diebus virore perpetuo, & ex his ramos cæſos, quibus magni regis via ſternebatur. Iuxta locus eſt, vnde Ieſus dilectam vrbem contemplans, ſolutus in lachrymas fleuit ſuper illam dicens: Hieruſalem, Hieruſalem, &c.

CAPVT QVARTVM.

A Bethphage vnius leucæ ſpacio progreſsi, venimus in nobilem illam Bethaniam, multis myſterijs memorabilem. *Bethania.* Bethania ergò à Solymis diſtat tribus milliaribus interiacente ſcilicet monte Oliueti. Olim fuit caſtellum, nobilibus habitatum, & ædibus frequens, nunc penè deſertum. Ante introitum iuxta ciſternam iactu ferè lapidis, locus eſt, vbi Domino Bethaniam venienti Martha occurrit, & diſputante cum ea benigno Ieſu de reſurrectione futura, & fratris Lazari reſuſcitatione, Magdalena vocata aduenit. Viſitur hic inſigni deuotione domus dominæ Marthæ hoſpitalis, in qua toties pius Ieſus hoſpitio eſt receptus, & humaniter habitus. Sed hæc domus, vtpote digna, in templum verſa eſt, Marthæ & Mariæ dedicatum. *Monumentum Lazari.* Adeſt propè locus ſepulchri, vnde Lazarus quatriduanus diuinæ vocis imperio fuit ſuſcitatus. Sepulchrum quidem marmoreis lapidibus eſt coopertum, perſimile ſepulchro ſancto virginis glorioſæ. Et hic erectum eſt ſacellum marmoreum in tam celebris miraculi memoriam, qui non ſolum Chriſtiani, ſed etiam Turcæ & Sarraceni magna deuotione venerantur. *Simonis leproſi domus.* Extat etiam in hoc pago domus illa Simonis leproſi, in qua recumbente Ieſu Magdalena amatrix ſuper caput eius effudit alabaſtrum

baſtrum vnguenti precioſi,dicentibus Apoſtolis: Vt quid perditio hæc? poterat enim vnguentum hoc venundari trecentis denarijs. Et Iudas vt tercentum denariorum furtum compenſaret magiſtrum vendidit triginta argenteis. Oſtenditur etiam Bethaniæ ſpelunca quædam, ſiue crypta,in qua ſancta Maria Magdalena non dicam pœnitentiam egit, ſed contemplationi vacauit, antequam tranſito mari ad Maſsiliam perueniret. Quam enim pœnitentiam ageret, cui Dominus ipſe cœli & terræ,peccata dimiſit,nulla pœnitentiæ opera iniungens.Hinc ventum eſt nobis ad domum Diuæ Magdalenes,in qua dictum eſt ei à Martha ſorore, Magiſter adeſt & vocat te. Olim hîc ſacellum fuit, nunc diruptum. Non longè abeſt locus,in quo verſus occidentem lapis eſt, ſuper quem Chriſtus, veniens ad Lazari ſepulchrum, requieuit, atq; reſedit. Mirum dictu de hoc lapide,quòd cæſus,ſculptus,raſus non minuitur. A Bethania aggreſsi ſumus peregrinationem Iordanis,aſinis vecti. Progreſsi ergò,in medio itineris viſus eſt nobis locus cœnobij dirupti in memoriam ſancti Ioachim Patriarchæ, qui opprobrio ſterilitatis deiectus de templo,hîc manſit cum ſuis paſtoribus,donec Angelicæ vocis ſolatium de habenda prole habere mereretur. Quo habito,Annæ vxori in porta aurea lætus occurrit. Inde progreſsis nobis viſus eſt locus,de quo Euangelium memorat: Homo quidam deſcendens de Hieruſalem in Hiericho,incidit in latrones,&c. Hîc videtur quædam cauerna profunda, ſuper quam olim erectum fuit ædificium.

¶ Vide [redacted]

CAPVT QVINTVM.

PRogredientes, & nocturnis horis eripientes dulcia quietis ſolatia, vrbem Hiericho attigimus, quæ vrbs diſtat à Hieruſalem triginta milliaribus,ſita in planis. Vrbs olim famoſa atq; fortiſsima fuit,nunc ruinoſa, vt vix decem domus habitatas,vrgente diuina ſententia,ne quis ſcilicet imprecationem illuſtriſsimi Ioſuæ non ſatis veritus in primogenito ſuo, reparaſſet eam, quam conſtat nunc tantum eſſe abiectam,quantum olim inclyta fuit. Hîc cæci illuminati,hîc

Hiericho.

Zachæus

Zachæus ab arbore ſycomerorum deſcendens, pius Chriſti hoſpes eſt iuſtificatus: nunc autem vnica turris ſemirupta hic viſitur, reliqua omnia miraculorum inſignia vel tempore legis, vel Galgala tempore Euangelij facta, deleta ſunt. Abeſt duobus milliaribus Galgala, olim vrbs inclyta, nunc ne pagus quidem, à qua ſpatio quinq; milliarium eſt ſacellum, Diuo Iohanni Baptiſtæ ſacrum: & fama eſt, hinc non longè Ieſum à Iohanne baptizatum, cui ſcriptura ſacra conſentit. Reliqua vrbis Hiericho ex libro Ioſuæ & Euangelijs diſce lector: ego nihil hic dicam præter id vnum, quod iter ab Hieruſalem difficilimum eſt, lapidoſum ac aſperrimũ, cui ſimile me vidiſſe non memini. Hiericho diſtat à Iordane decem ferè miliaribus. Vnde colligitur fluuius Iordanis abeſſe à Solymis quadraginta miliaribus, itinere difficillimo (vt diximus) arido & penurioſo: in quo emptile nil inuenias, nec prece nec precio, niſi Ieſum quempiam tecum ducas, qui aquam vertat in vinum, & lapidibus iſtis dicat, vt panes fiant, & ſic nuptias præſente Ieſu facies in Cana Hiericho. Eſt planè notatu digna planicies inter Hiericho & Iordanem decem millibus lata, longa viginti, per quam euntibus nobis plus minus centum ex fratribus languerunt ob nimios ſolis calores, & labores itineris. Hic orientem uerſus Behtagla videtur, vetuſtæ memoriæ locus, dictus hebraice Bethagla, id eſt, domus planctus, vel mœroris, eò Bethagla quòd ibidem Ioſeph, & reliqui filij Iacob deducentes corpus patris, planxerunt ſeptem diebus. In hoc loco nunc habitant Monachi Græci de canone Sancti Baſilii, quorum cœnobium diſtat Monachi à Iordane duobus millibus. Hi cœnobitæ non vtuntur forcipi-Græci. bus, nouacula aut cultris, ſed pilos creſcere permittunt inſtar Nazareorum.

CAPVT. SEXTVM

Ab Hiericho, agente ſpiritu Chriſti, læti properauimus ad fluenta Iordanis. Quare Iordanem, per vtriusq; teſtamenti ſcripturas tam celebrem, deſcribere paucis viſum fuit. Oritur autem in radicibus Libani præ porta vrbis Velenæ, quæ aliàs nominatur Cæſarea Philippi, confluentibus Ior & Dan quæ Iordanis nomen efficiunt. Ioſephus autem refert, mille

ſtadiis

ſtadijs altius verſus orientem hoc flumen oriri ex fonte largiſſimo, dicto Phiala, qui ſubterraneo meatu, decurrit vſq; ad fontes Ior & Dan. Hic fluuius poſt longos circuitus, quibus ſeparat Trachonitidem ab Ithuræa, tandem inter Capharnaum & Chorozaim mare Galileæ ingreditur ſpatio quatuor leucarum ab vrbe Cedar. Medio autem Velenæ & maris Galileæ eſt vallis, quam Iordanis niuibus inundans replet quandoq;, iuxta quam ſyluula eſt regiæ venationis. Inter reliqua Iordanis inſignia eſt, quod tempore legis Moſaicæ Iordanis cucurrit medius per terram promiſsionis, & nunc nobis ſignificans Baptiſma, diuidit Eccleſiam à Synagoga. Hic propè locus eſt pœnitentiæ ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ. Porrò Iordanis, quo loco Chriſtus baptizatus fuit, ruinoſo ædificio eſt inſignis, dignus planè longè clariore titulo, vbi pater cœleſtis adfuit in voce, ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & filius in carne humana, baptiſmum, humanæ ſalutis remedium, & ianuam ſacramentorum, erat conſecraturus. Hic ergò flumen ſanctum omnes peregrini ingreſsi, & corpora lauimus & animas, illa à ſordibus, has à peccatis, res ſummi gaudij atq; ſalutis, niſi triſtis caſus gaudia noſtra turbaſſet; Nam medicus quidam Gallus noſtræ ſocieatis vir probus et cum flumen paulò longius ingrederetur, captus Crocodilo (Draconem dicas aut beſtiam, incertum) abſorptus fuit, non ſine communium fratrum noſtrorum triſticia. Iordanis piſcoſus eſt, cum tamen in mare mortuum ſe recipit, piſces retrò cedunt. Nil enim, quod animam agit vegetalem, viuere poteſt in mari mortuo, adeò quod arbores circumcirca creſcentes, peſtifero maris afflatu infectæ, nil eſui aptum producere poſsint. Videas enim poma viſu decora, intus plena cinere ac fauilla. Vnde meritò mare mortuum dici poteſt, ſtans immobile, ſua viſcoſitate & viru concretum. Iordanis veluti conſcius huius putrefactionis minimè miſcetur aquis maris mortui, ſed perpetuo raptu tranſcurrit (vt aliqui dicunt) ſubtus mare ipſum, vt alij, ſupra inſtar olei, ſupra aquas fluitantis. Habet in longitudine ab Aquilone in Auſtrum centum & viginti milliaria, in latitudine ab oriente in occidentem ſeptuaginta, ſemper & vbiq; fœtidum & tenebroſum, velut ſulphureum, vt Cocytum infernalem aut atram Stygem dixeris. Apud autores Coſmographos lacus Aſphaltites,

Crocodilus Iordanis.

Lacus Aſphaltites.

Gluten Iu- vel bituminoſus nuncupatur. Hoc loco Bitumen naſcitur va-
daicum. rij vſus, quod Aromatarij gluten Iudaicum appellant. Res eſſet plena miraculis maris mortui, niſi ſacris Geneſis hiſtoria (authore Moſe) cauſam deſcriberet. Ait enim, olim hanc regionem ſolita irrigari fluentis Iordanis, ſicut Paradiſum Dei, ſtantibus vrbibus olim famoſis in hac planitie his nominibus, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, & Bala, quæ olim Pentapolis regio dicebatur, omnium rerum opulentiſsima, donec inualeſcentibus ſceleribus, aures Domini Dei Zebaoth, dirus clamor percelleret, vt diceret illuſtri Abrahæ: Clamor Sodomorum & Gomorræ venit ad me, deſcendam, & videbo, ſi clamorem opere compleuerint. Abraham ad preces conuerſus dixit: Abſit à te Domine, vt perdas iuſtum cum impijs, pactuſq; eſt cum Deo, vt ſi decem homines iuſti inuenti fuiſſent, parceret Deus Pentapoli. Quos cum Abraham minimè inueniſſet, exijt cum fratre ſuo Loth, vxore, atq; familia, pacto ne quis poſt tergum reſpiceret, moxq; Deus fortiſsimus vltor, & iuſtus iudex, pluit ignem & ſulphur ſupra Pentapolin, merſis hinc vrbibus in profundum, vbi nunc mare mortuum eſt. Porrò Abraham conſurgens ſte-

Vxor Lothi in ſtatuam. tit, & euerſas vrbes à longè conſpexit: at vxor Loth fœminea mollicie ducta retroſpexit, moxq; in ſtatuam ſalis verſa eſt, durante (mirum dictu) atq; in æternum duratura hac ſtatua, vt vidimus. Nos autem timentes peſtiferam regionem, diuertimus

Fons Heliſæi. ſiniſtram verſus Hiericho, vbi amœnus fons eſt Heliſæi Prophetæ, olim amarus, ſed merito Prophetæ per immiſsionem ſalis dulcoratus, vt refert hiſtoria Regum quarto libro. Hic fons ab Auſtro decurrens iuxta Galgalam tanto impetu fertur, vt moles circumagat, deinde in riuulos diuiſus irrigat Canamellas, & hortos fœcundat, deinde in Iordanem ſe recipit. Propè hunc fontem arbores creſcunt inſtar prunorum, ſpinoſæ tamen, in qui-

Roſæ Hierichũtinæ. bus flores naſcuntur, quos roſas Hierichuntinas vulgus appellat, mirandi effectus. Nocte enim natalicij noſtri Saluatoris paulatim hiant, atq; ſe recludunt, licet ſiccæ ſint & aridæ, in teſtimonium virginei partus atq; conceptus, vt credere licet. Dicuntur etiam parturientibus mulieribus eſſe remedio. Poſt quietem quinq; horarum, qua refecti fuimus ad fontem Heliſæi, qui-

Quarantanæ mons. dam ex noſtris montem Quarantanæ aſcenderunt, quibus, ego comes

comes itineris fui. Mons hic eſt,in quo Saluator noſter tentatus fuit, & quadraginta diebus ieiunauit, præaltus à fonte Heliſæi dimidio milliarij diſtans. In huius montis cacumine ſacellum eſt ruinoſum,ieiunio & oratione Chriſti venerabile. Sunt & aliæ ſex cryptæ in memoriam hebdomadarum,quas Chriſtus ſuo ieiunio & oratione conſecrauit.

CAPVT SEPTIMVM.

NOs autem partim labore fracti, partim fame & ſiti conſumpti, partim metu Arabum perculſi, omnia huius montis loca perluſtrare non potuimus. Vidimus ab hoc monte alium montem duobus millibus diſtantem,in quo Saluatorem noſtrum Sathan euexit, & oſtenſis omnibus regnis mundi, ſe adorare monuit. Prima enim tentatio fuit in monte Quarantana, ſecunda in monte iam dicto, tertia in pinnaculo templi. Videtur etiam à monte Quarantana caſtrum Monichal,quod olim Petra deſerti vocabatur,extructum à Balduino,rege Hieruſalem : nunc autem Turca in hanc arcem conuehit vectigalia Ægypti ac Arabiæ. Regredientibus nobis, quidam peregrinus, de Flandria oriundus, ob nimios labores atq; calores, dum aſino veheretur,repentina morte obdormiuit in Domino, cuius corpuſculum in itinere dedimus ſepulturæ, & animam commendauimus Deo. Nos autem omnes ſemimortui, nimijs laboribus fatigati,ad fontem reparauimus vires. Refocillato ſpiritu,à ſacro fonte regreſsi ſumus ad ſanctam ciuitatem,vt reparatis viribus, Galileæ loca ſacra viſitaremus.Docente enim Euangelio,& tota noui teſtamenti hiſtoria,hæc prouincia multis myſterijs & locis ſacris abundat. *Petra deſerti.* Galilæa enim illuſtris eſt Chriſti conceptu, ſermonibus,miraculis reſurrectionis, ita vt Chriſtus magis Nazaretius quàm Bethlehemita vocaretur. Dignum eſt ergò,Galileæ miracula diligenter perſequutari, & referre fideliter. Galileæ prouincia media eſt inter Iudæam & Samariam, vt ex ſacris hiſtorijs colligimus, & ipſis oculis noſtris vidimus. Galilæa duplex eſt,altera ſuperior, altera inferior. Galilæa ſuperior ipſa eſt regio nunc terra Moab, nunc Galilæa gentium, nunc Ithuræa,nunc plani- *Galilea ſuperior.*

cies Li-

eies Libani, nunc Trachonitidis regio, nunc Decapolis nuncupata in ſacris ſcripturis. Huius prouinciæ longitudo tenet triginta milliaria, iter ſcilicet unius dietæ et dimidiæ, latitudo paulo minor eſt. Vrbes Decapolis ſunt, Tiberias, Sephet, Cedes, Nephtalim, Azor, Cæſarea Philippi, Capharnaum, Bethſaida, Chorozaim, Bethſan, alias Scythopolis dicta, quæ eſt metropolis ſuperioris

Inferior. Galilęæ. Galilæa inferior ipſa regio eſt, quæ aliâs planicies Galilęæ, aliàs Campus magnus Esdrelon, aliàs Mageddo, vel Magedan nominatur, regio omnium pulcherrima, atq; uberrima, habens in longitudine uiginti milliaria in latitudine quatuordecim. Cingitur ab oriente mari Galilęæ, atq; Iordane, ab Auſtro monte Ephraim et Samaria, ab occidente partim monte Ephraim, partim Carmelo, ab Aquilone Phœnice & Libano. Et hæc eſt pars fertilior. Nos ergo, vt inſtituto noſtro ſatisfaciamus, & maiorem voluptatem afferamus lectoribus, loca inſigniora (vt ipſi vidimus) breuiter deſcribamus, tenentes magis ordinem di-

Nazareth. gnitatis, quàm ſitus. Prima ergo omnium ſit Nazareth, illa olim quidem ignota, nunc autem per totum orbem glorioſa. Hæc diſtat à monte Thabor duabus leucis, ab Auſtro habens montem Hermon, in cuius latere aquilonari eſt Naim, vbi Ieſus filium viduæ vnicum ante portas ſuſcitauit. Nazareth ergo ciuitas Galilęæ, vt Lucas refert in 1. capitulo ſui Euangelij, ex qua flos de radice Ieſsæ, in qua nunciante Angelo, ſuperueniente ſancto paracleto, obumbrante virtute altiſsimi, gaudente tota curia cœleſti, optante toto orbe terrarum, conſentiente virgine, in totius mundi ſalutem, miro modo verbum Dei factum eſt caro intra conclaue virginei corpuſculi, intra paruæ Nazareth mœnia, ut omninò iam interrogare non liceat, Num ex Nazareth poſsit aliquid bonj eſſe? Conſtat nimirum, quod à Nazareth omnis ſalutis factum eſt exordium, ut refert Lucas Euangeliſta in pulcherrimo Euangelio: Miſſus eſt Angelus Gabriel. Hic ergo Chriſtus conceptus eſt, atq; nutritus, locusq; conceptionis Virgineæ & ſalutationis Angelicæ hodie permanet. Eſt enim templum ibidem erectum, in quo tria ſunt altaria, exciſa de rupe: nam & Nazareth domus pro maiori parte ſunt exciſæ de rupibus & videtur hodie ſynagoga illa, in quam Ieſus de deſerto regreſſus intrauit, quando datus eſt ei liber, quo aperto legit Spiritus Domini ſuper me &c.

me,&c. et dixit, Prophetiam impletam. Eſt etiam in fine oppidi ſacellum in nomine ſancti Gabrielis Archangeli dedicatum, in quo fons eſt ab incolis valde æſtimatus, ex quo puer Ieſus crebro dicitur aquam hauſiſſe iuſſu Mariæ & Ioſeph. Domuncula illa omnium beatiſſima domorum, in quam incarnationis myſterium, & ſalutatio Angelica ſunt conſumata, creditur haberi in prouincia Ancona, loco, qui dicitur Lauretum. Extra Nazareth ad Auſtrum milliari dimidio locus eſt dictus ſaltus Dauid, vbi cæci homines niſi ſunt Ieſum benedictum præcipitare de monte, vt legitur Lucæ quarto: atq; hodie in latere montis oppoſiti videntur veſtigia corporis Chriſti lapidi, vt ceræ impreſſa, Chriſto fugiente.

Domuncula ſalutationis Angelicæ.

Saltus Dauidis.

OCTAVVM CAPVT.

A Nazareth leucis duabus ad orientem mons eſt Thabor, nunquam ſatis laudatus, in quo Chriſtus præſente patre in voce, filio in carne, Spiritu ſancto in ſpecie columbæ, præſentibus etiam Moſe & Helia, cum Apoſtolis, Petro, Iacobo & Iohanne transfiguratus eſt, & præſcius myſterij miro gaudio Petrus optauit fieri tria tabernacula, quorum ruinæ adhuc hodie extant. Sunt etiam in hoc monte aliorum ædificiorum, turrium atq; ædium regalium, ruinæ inſignes, in quibus nunc latitant feræ ſyluarum. Mons Thabor, aſcenſu difficilis eſt, in cuius radice via, qua itur de Syria in Ægyptum, locus oſtenditur illuſtris planè in quo Melchiſedech, ſacerdos Dei altiſsimi, occurrit Patriarchæ Abrahæ, reuertenti à cæde quatuor Regum, vt legimus Gen: 14. cap. Prope locus eſt inſignitus, in quo Ieſus monuit Apoſtolos, ne viſioné transfigurationis reuelarent, donec à mortuis reſurrexiſſet. Aliqui etiam credunt, in hoc monte Chriſtum apparuiſſe diſcipulis poſt reſurrectionem. Cæterum eſt alius mons in Galilæa, ad quem hoc myſterium veriùs eſt referendum: eſt enim caſtrum dictum Sepheth, munitiſsimum olim præſidium Chriſtianorum & totius Galilææ, nunc autem nidus Turcæ, vnde totam Galilęam, quæ continet ſortes tribuum Zebulon, Neptalim, Aſer, Iſaſchar, Manaſſe, Ptolemaida, Tyrum, & Sidonem, tyrannicè occupat. Prope hoc caſtrum iuxta mare

Thabor mons.

Melchiſedech.

Sepheth.

Galilęæ

Galilęæ orientem verſus mons eſt, in quem ſolitus erat Chriſtus aſcendere, vt prædicaret, vel oraret. In hoc monte Chriſtus prædicauit ſermonem illum longum atq; moralem, qui ſcribitur Matthæi 5. Hic pernoctauit in oratione, hic ſatiauit quinq; millia hominum ex quinq; panibus & duobus piſcibus: in huius montis radice ſanauit puerum Centurionis Paralitycum, & multitudinem languentium. Habet hic mons duos iactus arcus in longum, iactum lapidis in latum, planicie herbida, florida, decora, amœna, ac contemplationi aptiſſima. Extat adhuc lapis, ſuper quem ſedit Ieſus prædicans populo, & Apoſtolorum ſedilia: et hunc locum appellant Chriſtiani Menſam Chriſti & Apoſtolorum. In radice huius montis iuxta Mare Galilęæ ſpatio triginta paſſuum fons uiuus oritur, muro circumdatus, quem incolæ credunt venam Nili, eo quod Piſcis, Coruus dictus, hic inuenitur, quem ſolus fert Nilus. Ab hoc fonte ſpatio uiginti paſſuum ſuper mare Galilęæ locus eſt, vbi Saluator ſurgens ſtetit in littore, dicens diſcipulis piſcantibus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Iohann. 21 cap. Hoc in loco glorioſi Ieſu extant impreſſa veſtigia lapidi, ſed Sarraceni lapidem ſuſtulerunt. Inde adhinc decem paſſibus locus eſt, vbi Apoſtoli piſcantes viderunt prunas in littore & piſcem ſuperpoſitum ac panem. Hinc ſpatio vnius leucæ eſt Capharnaum, vrbs olim glorioſa multis miraculis Chriſti, inſignis adeò, vt Ieſu ciuitas vocaretur, nunc autem adeò deſolata, vt vix octo tuguria habeat. Sed hoc diuinæ vocis & verborum Ieſu virtute ſcimus contigiſſe. Legimus enim Matthæi. 11 cap. Ieſum dicentem: Et tu Capharnaum mumquid vſq; in cœlum exaltaberis, vſq; in infernum deſcendes.

Menſa Chriſti & Apoſtolorum.

Capharnaum

CAPVT NONVM.

A Capharnao duabus leucis, Iordanis, mare Galilęæ ingreditur, in cuius vlteriore ripa vrbs Chorozaim eſt ſola ruina teſtante. Nam & huic diuina veritas per os Ieſu comminata eſt, dicens Matth. 11. Væ tibi Chorozaim. Et eadem ſors (vt vidimus) contigit vrbi Bethſaidæ, ſorori iniquitatum Chorozaim, vt ibidem in Euangelio legitur. Hæc ſita eſt in angulo maris Galilęæ in Auſtrum,

Chorozaim.

Bethſaida.

vrbs

vrbs natalis Petri, Andreæ & Philippi Apoſtolorum, vt legimus Iohann: 1. cap. Nunc autem eſt deſerta, vt diximus. Habuit olim aquæductum à fluuio, quem Ioſephus paruum Iordanem appellat, cuius veſtigia adhuc apparent in deſcriptione nobilis prouinciæ Galilęæ. Nequaquam omittenda eſt illuſtris Cana cuius nuptias ſacro ſanctas legimus Iohann: 2. cap. Hæc diſtat à Ptolemaide quinq; leucis. In hac dum ſolennes nuptiæ celebrantur, inuitatur nobilis illa virgo Maria, vocatur Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias, & initio miraculorum Ieſu aqua mutatur in vinum, ſex hydrijs aqua repletis, ſecundum purificationem Iudæorum. Vidimus oculis noſtris, vel hac parte felicibus, nobile illud triclinium Iohannis (vt creditur) ſponſi, in quo matrimonij ſacramentum Chriſti matriſq; eius præſentia, & primo miraculo eſt honoratum. Eſt nihilo minus honoratus cœlibatus, ad quem Chriſtus Iohannem vxorem ducere volentem, inuitauit. Hic triclinij locus, ſicut omnia ferè alia miraculorum Chriſti loca inſignia, eſt ſubterraneus. Eſt & alia Galilęæ ciuitas inſignis Tiberias nuncupata in Euangelijs. Hæc tribus leucis diſtat ab vrbe Bethulia, vbi adhuc caſtrorum Holofernis & facti Iudith apparent veſtigia. Porro Tiberias eſt ſupra littus maris Galilęæ, vnde & mare Tiberiadis nuncupatur, olim dictum Cenereth, vel Ceneroth, vnde Ioſuæ 12. legimus: Seon, rex Amorrhæorum, dominatus eſt vſq; ad mare Ceneroth. Hæc vrbs longa eſt valdè ad littus maris extenſa, vbi balnea ſunt ſalubria, palmæ multæ, oliueta & vineæ, & reſtaurata fuit ab Herode Tetrarcha, in honorem Tiberij Cæſaris Tiberias nuncupata.

Cana *Cœlibatus.* *Tiberias.*

CAPVT DECIMVM.

CVm ſaluator noſter ex finibus Tyri & Sidonis iuiſſe dicatur ad fines Decapoleos, congruum fuerit, poſt Decapolim loqui de Tyro & Sidone. Ergo à loco, qui in Canticis vocatur puteus aquarum uiuentium, duobus milliaribus eſt Tyrus inclyta, per Thyras, Iaphet filium conſtructa poſt generale diluuium, & à Phœnice reſtaurata, vnde Syriæ Phænices metropolis eſt habita, Cingitur firmiſsimis

Tyrus.

mœnibus figuræ circularis, & in medio maris ſuper rupem extructa, eſſetq; peninſula, niſi opera primnm Nabuchdonoſor, deinde Alexandri Magni ab ortu continenti iuncta fuiſſet. In hac vrbe precioſæ martyrum ſeruantur reliquiæ, vt narrat hiſtoria Eccleſiaſtica. Porrò in templo ſancti ſepulchri Origenis doctoris oſsa magno in honore ſeruantur, quorum titulus eſt in columna marmorea magno ſumptu gemmarum & auri. Ante portas vrbis ad ortum ſpatio duorum iactuum arcus inter denſiſsimas arenas oſtenditur locus prædicationis Chriſti, vbi mulier exclamauit, Beatus venter, qui te portauit. Eſt ibidem lapis magnus, ſuper quem Ieſus ſolitus erat prœdicare, nunc ſtans, nunc ſedens. Lapis hic nunqaum arena, quantumcunq; vento agitata, occultatur, nec etiam niuibus. Eſt & ibidem columna ſtrata in longum, vbi ferunt peregrinos olim tranſeuntes à Sarracenis occiſos. Sidon vrbs in hac regione quanta fuerit, ipſæ ruinæ docent, & ſacri libri Prophetarum oſtendunt, Vnde Hieremiæ 48. de his dicitur: Diſsipabitur Tyrus & Sidon cum auxilijs ſuis. Et Ezechelis 28. Ecce ego ad te Sidon dicit Dominus &c. Ex reliquijs Sidonis antiquis parua vrbs reparata & fortis. Terra in circuitu vberrima eſt, abundans Canamelle & vineis delicioſis. Ante portam vrbis antiquæ extructum fuit ſacellum, in cuius loco Cananæa pro dœmoniaca filia Ieſum orabat, vt dicitur Matthæi 15. cap. Tribus leucis à Sidone eſt vrbs illa celebris & maritima Tripolis, in qua omnium ferè nationum Chriſtiani morantur. Vrbs per ſe diues eſt in opulentiſsima regione, in qua feruntur eſſe plus quam quatuor millia textorum, in ſerico & holoſerico operantium. Libanus mons tribus leucis diſtat à Tripoli, vnde dicitur in Canticis: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

Monumentum Origenis.

Sidon.

Tripolis.

DE VALLE SILOE, DE NATATORIA, DE AGRO AKELDAMA, DE DOMO SImeonis ſenis, de caſtro mali conſilij, de terebintho procera, de monticulo Abacuc, de illuſtriſsima vrbe Bethlehem, de templo magnificentiſsimo loci natalis Domini, de valle Raphaim, de monte Iudæ & domo Zachariæ, de Regno Gazæ, de oppido Buticele, de antiqua & noua Hebron, de ilice Mambre, de agro Damaſceno, & ortu Adam, de vineis Engaddi, & hortis Balſami, de cœnobio Iohannis Baptiſtæ, de miraculo reliquiarum eius, de monte Carmelo, & miraculo fontis, per ordinem diſſerit, continetq; ca: 6.

CAPVT PRIMVM.

NVnc piorum paſtorum monito obtemperantes tranſiuimus vſq; in Bethlehem, viſuri hoc verbum, quod fecit Dominus & oſtendit nobis. Exeuntes ergò Hieruſalem, & deſcendentes, primum venimus in vallem Siloe, vbi in radice montis Sion decurrit fonticulus, cuius riuulis Beata virgo in varijs ſuæ rei domeſticæ, & Ieſu filij neceſsitatibus, creditur vſa fuiſſe. *Vallis Siloe.* Hic riuulus decurrit in natatoria Siloë, vbi Chriſtus illuminauit cæcum natum. Et Salomon priſcis temporibus hìc in quadam domo, cuius adhuc ruinæ videntur, teſtantes operis magnitudinem, dicitur cudiſſe monetam. *Salomonis officina monetaria.* Porro aqua fontis, ipſis etiam Sarracenis, in precio eſt, adeò vt cum naturaliter fæteant inſtar hircorum, huius fontis lotione fætorem mitigant ſeu depellunt. Aqua etiam natatoriæ Siloe mirandæ vulgatur eſſe virtutis, quod ſcilicet lauantes oculos minimè cæcitatem vel ophthalmiam incurrant. *Natatoria miraculoſa* Quare Turcis eſt in magna reuerentia. Deinde peruenimus ad locum, vbi viſitur ſepulchrum Eſaiæ Prophetæ, qui fugiens iram furentis populi, in arbore Cedro concaua ſe abſcondit, quæ mox virtute diuina conſolidata eſt. *Monumentum & ſupplicium Eſaiæ* Accurrentes autem populi furibundi arborem ipſam ſerra ſecuerunt, ſecto etiam corpore ſancti Prophetæ per medium, in cuius rei memoriam alia arbor ibidem plantata eſt.

Inſiſtentes itineri venimus ad quandam caueam, exciſam in petra in valle Siloë, in qua fama eſt octo ex diſcipulis, capto in horto Chriſto, vſq; ad diem reſurrectionis eius fuiſse abſconſos. *Akeldama* Modico interuallo venimus ad agrum Akeldama, emptum triginta Chriſti denarijs precioſis in ſepulturam peregrinorum, vt prophetauit Ieremias, & enarrat Euangeliſta. Hic ager vndiq; muro cinctus eſt, & deſuper tectus, patentibus nouem foraminibus, per quæ corpora Chriſtianorum defuncta ponuntur. Sunt etiam in hoc agro multa monumenta precioſiſsimè ſtructa. Illud autem eſt mirabile, & ad totius mundi conuerſationem, vt fidem Chriſti ſuſcipiant, efficax teſtimonium, quod corpora in hunc agrum proiecta ſpatio 24. horarum rediguntur in puluerem. Longè hinc ad iactum arcus propè ſepulchrum Eſaiæ eſt lapis Zœleth, & fons Rogel, vbi Adonias, filius regis Dauid, regnum affectans parauit nobile conuiuium, vt ſcribitur in 3. Regum. Loca hæc ſunt hortis & viridarijs delicioſa, in quibus tamen olim multa ſuperſtitioſa facta fuiſse leguntur, vt ſcribitur 4. Regum cap: 15.

CAPVT SECVNDVM.

DIe Veneris menſis Iulij 27. refectis corporibus, aſinantes properauimus ad ſanctiſsimam Bethleèm, & primum ad dextram diuertentes, vidimus domum ſanctiſsimi Simeonis, pijſsimi ſenis, *Domus Simeonis* qui deſiderio plenus & ſpiritu ſancto, paruulum Ieſum vlnis ſuis in templo complexus eſt, dictans hymnum veſpertinum. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine &c. Prope hunc locum *Caſtrum mali conſilij* caſtrum eſt, mali conſilij nuncupatum, in quo Phariſæj atq; Pontifices inierunt conſilium contra Ieſum, & Caiphas ipſe, habens Prophetiæ donum ex pontificiali dignitate, neſcius prophetauit, dicens: Expedit, vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat. O verbum ab iniquo quidem corde prolatum, ſed veriſsimum, ac myſterij plenum. Cæterum fefellit inuidos conſiliatores iniqua intentio, nam vnde ipſi iram Romanorum, & vrbis euerſionem, euadere ſatagebant, inde incurrerunt. Nam Titus & Veſpaſianus miſsi à Deo ad vltionem

inno-

innocentiſsimæ mortis Chriſti, verè abſtulerunt locum & gentem. Medio milliari à Hieruſalem in grandi itinere nobilis arbor Terebinthus viſitur, ſubtus quam virgo Maria Solymam iens,& rediens,quieſcere ſolebat. Mirum dictu eſt, hanc arborem tantiſper virentibus ramis ac frondibus procera ſtatura durare, quæ non ſolum uiatoribus grātum præſtat vmbræ refrigerium, ſed etiam veniam ſeptennem pijs Chriſticolis. *Terebinthus Mariæ.*

In eadem via publica viſuntur tres ciſternæ profundæ, apud quas Magi,Hieroſolymam egreſsi,perditam ſtellam multo gaudio reinuenerunt. Extat in hac via monticulus, in quo oſtenditur domus Prophetæ Abacuc, quem ferentem prandiolum meſſorum Angelus Domini comprehendit in vertice,tranſtulit in Babylonem,miſitq; ad lacum leonum,vt cibaret Danielem Prophetam. Quo facto, ad domum ſuam,eodem Angelo ferente,eſt reductus. Ibidem prope viam,quæ ducit in Hebron, ad iactum arcus viſitur, illuſtris domus magni Patriarchæ Iacob, & ſepulchrum Rachelis,eius vxoris,quondam inſigne,nunc vero diruptum, vbi colliguntur lapilli parui & nigri quos geſtantes mulieres facilius pariunt. Videtur ab hoc loco mons Achile, in quo rex Dauid latitans, euaſit Saulem, ipſum perſequentem, vt legimus primo Regum 26. Ab ſacra Bethlehem ſpacio vnius milliaris ad meridiem locus eſt, in quo Angelus, præcentor chori cæleſtis, paſtoribus vigilantibus ſuper gregem, læta nouæ ſalutis gaudia nunciauit, dicens: Natus eſt vobis hodie Saluator &c. moxq; cæleſtis militia intonuit, Gloria in excelſis Deo &c. In tantæ rei memoriam ſacellum hîc erectum eſt medio agro, & paſcendo pecori apto. Non longè abhinc ſacellum eſt ſemiruptum, in quo tempore cædis innocentium Ioſeph cum virgine atq; eius infantulo Ieſu fertur latuiſſe vſq; ad admonitionem Angelicam dicentem: Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: nunc eſt caſa paſtorum. *Abacuc vates* *Monumentum Rachelis.* *Achile.*

CAPVT TERTIVM.

His peragratis locis, alacres properauimus viſere ſacratiſsimam Bethlehem, cuius olim laudes nouimus Prophetæ pręconio,dicentis: Et tu Bethlehem nequaquam *Bethlehem.*

minima vocaberis in millibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael. Accurre & tu glorioſa filia Sion, vrbs Hieruſalem, & admirans dicito cum rege tuo, atq; Propheta: Nonne homo natus eſt in Bethlehem, & ipſe fundauit eam altiſsimus, ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Nam cum Regum atq; illuſtrium heroum ortu Bethlehem præcellat multas vrbes maiores, partu tamen veri Meſsiæ, & ſummi Emanuelis Ieſu omnes mundi vrbes antecellit. Eſt ergò Bethlehem in terra Iuda conſtructa in monticulo, diſtans ab Hieroſolymis octo milliaribus. Iuxta portam vrbis ciſterna viſitur, cuius aquam Dauid in præſidio manens petijt, ſed allatam bibere noluit, vt legimus in 2. Reg: 23. cap: Olim inclyta, & locus natalis regis Dauid, nunc parua, & raro habitatore, vix centum continens domos humiles. Eſt ibi Cœnobium Fratrum ſancti Franciſci, quod ingreſsi humaniter fuimus recepti, & cibo potuq; recreati. Deinde iunctis Fratribus loca ſancta ordine viſuri proceſsimus.

Monaſterium Franciſcanorum

Venimus autem primum ad templum magnum, vbi eſt ſedes Archiepiſcopalis, cuius deſcriptio difficilis eſt: nam (vt mea fert opinio) templum, hoc amplitudine, ſpecioſitate ac precio tantum ſuperbit, vt omnia Chriſtiani orbis templa excellere videatur. Et hic planè iuſtiſsima exigit ratio, vt Dei filius, ſummo cælo deſcendens, & exiens illam regionem, in qua manſiones multæ ſunt, hoc templum haberet in terris, ſuo ortu & gloria dignum. Eſt autem mirè excelſum, amplum & longum, quatuor ordinibus, columnarum marmorearum innixum, quarum ſingulus ordo conſtat quinquaginta columnis, magno ædificio & ſumptu erectis. Huius templi nauis à capitibus columnarum vſq; ad teſtudinem opere vermiculato conſtat, omnes hiſtorias ab exordio mundi vſq; ad ortum Chriſti continens, mirabili artificio & viſenda colorum varietate illuſtris. Pauimentum ſtratum eſt marmore varij coloris, parietes tabulis magnis alabaſtrinis ſunt incruſtati, quorum precium & artificiũ æſtimari non poteſt, adeò quod ipſe Sultanus quondam harum tabularum precio & pulchritudine captus, admouit ſacratiſsimo templo manus ſacrilegas, iubens latomis, vt è parietibus leuiter ſubmouerent, & pro palatio ſuo in Babyloniam transportarentur. Mirum dictu, & omnibus ſeculis narrandum miraculũ. Mox vt latomi cum inſtru-

Fanum

ſtru-

ſtrumentis acceſsere, tabulas amoturi, ex ſolido pariete miræ magnitudinis ſerpens prodijt, & primã tabulam momordit ſtatimq; crepuit. In hunc modum & reliquæ morſæ á ſerpente crepuerunt, numero quadraginta. Porro Sultanus viſo miraculo timens vltricem Dei iram, iuſſum reuocauit, & de templo exijt plenus timoris, ſimulq; ſerpens diſparuit. Viſuntur his diebus ſerpentis veſtigia, & fixuræ tabularum. Hæc hiſtoria miſſa eſt in annàles ✱ ſcriptorum, adeò vt & his quoq; diebus Turcas & omnes Saracenos huius templi magna reuerentia teneat. In ſuperiori parte huius templi verſus Orientem, altare erectum eſt eo loco, vbi tres Magi, relictis dromedarijs, ad ſacram adorationem promptis muneribus ſe præparauerunt. Ingreſsi ſumus & ſacellum, in honorem Catharinæ virginis & martyris erectum. Profectò in ſummo huius templi, ad dextram deſcenſus patet decem gradibus, locus ſcilicet ipſo cœlo auguſtior, nunquam ſatis laudatus & æterna memoria omnibus fidelibus venerandus, in quo medio noctis ſilentio virgo ſacroſancto partu grauida, caſtis viſceribus, & illibato pudore, huic mundo edidit Saluatorem tenellum infantulum, & beatæ ſalutis pignus, in commune exponens duum animalium medio. Hic locus tegitur menſa marmorea ac candida, in qua ſacrum peragitur, quin & oſcula imprimuntur.

✱ Borchardum dicit, qui de hac hiſtoria, plenius.

Locus natiuitatis Chriſti.

Cæterum illa lapidis pars, ſuper qua Chriſtus dicitur natus, & præſepis pars, in quam fuit reclinatus, non marmore veſtiuntur, ſed nudæ patent, vt erant tempore natiuitatis. Locus præſepis quatuor paſsibus diſtat à loco natiuitatis.

Prope eſt locus, vbi Chriſtus octauo die fuit circumciſus, & ſortitus nomen Ieſus, cui omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, in quo & ſaluamur omnes.

Hinc non procul cripta adhæret, locus olim ſtudiorum ſancti Hieronymi, in quo libros Bibliorum tranſtulit, & expoſuit. Viſuntur & ibidem ſepulchra ſancti Hieronymi, atq; Euſebij, marmorea, quorũ corpora Romam ſunt tranſlata. Crypta quoq; ibidem viſitatur ad Auſtrum, in qua multa innocentium martyrum ab Herode interfectorum, corpora fuerunt congeſta. Progreſsi de templo ad Aquilonem, intrauimus refectorium ſancti Hieronymi, in quo nunc eſt viridarium herbis et fructibꝰ copioſũ.

Hieronymi muſeum.

Ad

Ad iactum lapidis ſacellum eſt ſanctarum Dominarum, Paulæ matris & Euſtachij filiæ, nobilium Romanarum, quarum merita & monumenta ibi videntur. Hinc ergo refectis corporibus & animabus, progreſsi ſumus verſus montem Iuda, & vidimus locum cœnobij ſancti Hieronymi, nunc deſertum, in quo claudicanti Leoni ſpinam ex planta pedis dicitur extraxiſſe.

Monaſterium.

CAPVT QVARTVM.

INſiſtentes itinerj vno milliari à Bethlehem in cacumine montis vidimus pagum, quem alij Buticellam, alij Bezech vocant, in quo Saul creatus Rex congregrauit Iſrael in bellum contra Naas Ammonitem. Pagus hic octoginta ferè domus habet, & optimo vino abundat. Incolæ ferè omnes ſunt Chriſtiani, cenſum ſoluentes Turcæ. Adeſt non longè vallis Raphaim vſq; ad torrentem Botri, per quam diſcretis habitationibus habitant multi Chriſtiani diuerſarum nationum. Promouentes aſinis inſidendo deuenimus ad fontem, dulciſsimis aquis fluentem medio itinere, quo itur ab Hieruſalem ad ciuitatem Gaza, vnde & Gaza regnum nominatur. Hæc vrbs ad Auſtrum ſita eſt in littore maris valdè populoſa, habens figuram ſemicircularem. In hanc omne ferè robur Sarracenicæ gentis confertur. Porrò ad fontem prædictum Eunuchus, Æthiopia oriundus, reginæ Candacis cubicularius, curru vectus, legensq; Eſaiam Prophetam, poſte narrationem Prophetiæ quinquageſimi tertij cap. amore fidei & myſteriorum Chriſti dulcedine captus, baptizatus fuit à Beato Philippo * Apoſtolo, qui mox diſparuit, raptus à Spiritu, & translatus in Azotum, vt narratur Actorum 8. capite Paulo poſt hinc meantes, venimus ad montem Iudææ, viſitaturi domum Zachariæ et Eliſabeth, illuſtri ortu Diui Iohannis Baptiſtæ inclytam, & viſitatione virginea, editione cantici Magnificat, conſecratam Fateor tibi candide lector, multum trahebamur deſiderio huius ſacræ domus videndæ, memores myſteriorum in ea factorum, vt narrat Lucas Euangeliſta primo & ſecundo capitibus. Domus hæc in pago eſt adhuc hodie habitata.

Bezec. *Raphaim.* *Gaza* *Euangeliſta*

At vix dum nobis egreſsis, Arabes latrunculi acrem incurſionem in nos fecerunt, ita vt veloci curſu in cænobium Græcorum ingreſsi, euaderemus. Cœnbium hoc in ſanctæ crucis honore eſt dedicatum, in quo pauci Chriſtiani Græci Monachi Deo ſeruiunt in paupertate, ferturq; crux Chriſti hic inuentam, in arbore quadam fabrefactam. Sub altari chori huius templi eſt foramen rorundum, locus (vt dicitur) quondam illius arboris. *Monaſterium S.Crucis.*

Templum hoc pulcherrimum plane eſt columnis marmoreis & opere vermiculato decoratum,eſtq; fortiſsimum contra incurſus Arabum. A Bethlehem tribus milliaribus in via Thecuæ eſt ſepulchrum ſancti Cariathoth Abbatis,quo migrante ad Deum, omnes pariter Monachi cum eo ad cœleſtia regna feliciter tranſierunt. *Cariathot Abbas.*

CAPVT QVINTVM.

IN regione Iudeæ & confinibus Bethlehem eſt Hebron illa antiqua olim dicta Cariatharbe,de qua legimus Gen. 23. Saram fuiſſe ibi ſepultam. Quinetiam hic viſitur famoſus ille locus ſpeluncæ duplicis,in qua quaruor Patriarchæ cum vxoribns ſepulti leguntur, Adam & Eua, Abraham & Sara, Iſaac & Rebecca, Iacob & Lia. Hebron antiqua olim in monte fuit vrbs inclyta, nunc ſubrupta, vt probanr ruinæ. In hac regnauit Dauid ſuper Iudam ſeptem annis. Habet autem ilicem Mambre à larere,vbi Abraham, ſedens in oſtio rabernaculi, vidit tres viros,& vnum adorauit, manifeſtè exprimens alrum Trinitatis myſterium,ſcilicet Patrem,Filium,Paracletum,tres eſſe perſonas,vnum Deum vna adoratione venerandum. Ilex Mambre adhuc hodie viſitur ante oſtium tabernaculi Abrahæ nobilis Patriarchæ. Nam licet antiqua illa ilex aruerit,tamen ex eius radice alia pullulauit, cuius folia ſunt paulo maiora folijs lentiſci, fructus vt quercuum. Hic olim fuit Eccleſia cathedralis, nunc in ſpurciſsimos ritus Turcarum redacta. Porro vnius iactus arcus ſpacio ab Hebron eſt ager ille Damaſcenus, creatione protoparentis Adam, celebratiſsimus, adeò fertilis & ſpecioſus, vt aliqui hic *Hebron.* *Ilex Mambre.* *Ager Damaſcenus.*

Paradiſum terreſtrem intelligi debere crediderint. Ager hic habet terram rubram, & mire tractabilem, quam ſarraceni deferunt in Ægyptum, Æthiopiam & Indiam, care vendentes. Ferunt autem, foueas reuoluto anno adimpleri diuinitus, haberturq; fama conſtanti, hanc terram eſſe talis virtutis, vt eam geſtantibus nulla incommoda noceant. Hic locus monſtratur, vbi Cain occidit fratrem ſuum Abel. Paulo longius eſt quædam ſpelunca ſub rupe, in qua Adam & Eua luxerunt Abel centum annis, vbi viſuntur eorum ſaxei lecti, habentes in longitudine triginta pedes. Sed et fons ſcaturit in ſpelunca, de quo bibiſſe creduntur protoparentes noſtri. Sub hac ſpelunca, in ipſa valle, via deſcendit, qua itur ex Hebron in Gazam. Conſtat ex his erroneam eſſe opinionem vulgi credentis Adam in paradiſo fuiſſe formatum, contra hiſtoriam libri Geneſeos. Sed & magnorum doctorum teſtimonio probatur, Adam in hoc agro Damaſceno, de rubra ſcilicet terra, à Deo fuiſse plaſmatum, & inde tranſlatum in Paradiſum, vbi ſoporato Adam, Eua formata fuit ex coſta eius. Fertur autem in quibuſdam apocryphis, quod Deus formato Adam in hoc agro, Angelum Michaëlem miſit ad orientem, qui viſa ſtella Annatole, id eſt oriens, rediјt. Secundò miſit Gabrielem ad occidentem, qui viſa ſtella Dyſis nuncupata, id eſt occidens, rediјt. Tertiò miſit Raphaëlem, ad ſeptentrionem, qui videns ſtellam Arctos, id eſt ſeptentrio rediјt. Quartò miſit Vrielem ad meridiem, qui viſa ſtella Meſambri, quod ſignificat meridiem, rediјt ad Deum. Ergo quatuor Angeli, iuſſu Dei ad quatuor angulos mundi emiſsi, quatuor literas primores, & quatuor mundi partes capitales, ſcilcet A. D. A. M. componentes, effecerunt nomen Adam, quo facto Deus ipſe artificium comprobauit, dicens: huic homini vos Angeli ſeruietis & ipſe toti mundo, Orienti, Occidenti, Boreæ, & Auſtro imperabit.

Negatur.

CAPVT. SEXTVM

MOnet locus, vt poſt Damaſceni agri mentionem meminiſſe debeamus vinearum Engaddi, non quod loca ſint vicina (nam Engaddi, eſt propè Hiericho, ager

Dama-

Damaſcenus prope Hebron) ſed quod loca hæc vbertate, ſpecie & fructibus ſint mirè excellentia. Engaddi verò eſt, in quo Dauid declinauit furias Saul, in cuius montis circuitu & Cacumine hortus Balſami conſtitutus erat: quippe tum in nullo alio loco Balſamum naſcebatur. Ceterum tempore magni Herodis Cleopatra, regina Ægypti, fauente Antonio marito, ſed inuidente Herode, hortum Balſami tranſtulit in Babyloniam Ægypti, vbi precioſiſsimarum arborum hortus delicioſus colitur à Chriſtianis ſolis rigaturq; aqua fontis, in quo fama eſt, virginem glorioſam ſæpe lauiſse infantulum Ieſum, cum degeret in terra Ægypti. Sunt tamen adhuc ſurculi quidam Balſamorum in monte Engaddi, ſed nullius cultus, nullius prouentus. Sic miro modo ſe vlciſitur Deus de peccatoribus, vt quemadmodum Herodes, olim horti Balſami poſſeſſor, Ieſum puerum perſequebatur, Ieſus fugiens in Ægyptum poſt ſe traxit Balſami hortum. Eſt autem hic hortus in Ægypto inter Heliopolin & Babylonem, habens in longitudine duos iactus arcus, in latitudine iactum lapidis, terræ ferè albæ. Nos cum ibidem eſſemus in menſe Septembri, Balſami lignum humile erat palmi ſcilicet & dimidij in altitudine, folia habens paruula vt rutæ, paulo tamen albiora Meſsis autem Balſami talis eſt. Decerpitur folium ex ſtipite contra Solem, moxq; gutta lucida et mirè fragans ſcaturit ex ruptura, & hic Balſami precioſiſsimus liquor vitreis vaſis colligitur, minimè fluxurus, niſi ad ortum ſolis fiat ruptura. Fonticulus autem Ieſu paruulus eſt non ſufficiens irrigationi totius horti: quare Sarraceni alium foderunt iuxta illum puteum, ex quo 4. boues aquam protrahunt per rotam ſperantes ex vicinitate fontis Ieſu aquam fore ſalubrem. At longe aliter res euenit, donec miſsis canalibus aquam putei ducerent in fontem Ieſu, quo facto largiter & ſalubriter ex aquis mixtis rigatur Balſami hortus. Mirum dictu, verum tamen, à meridie Sabbathi vſq; ad auroram die Lunæ boues nullo verbere impelli poſſunt, vt in protrahenda aqua laborent, quod eſt fidei noſtræ teſtimonium celebre. In hoc fonticulo Ieſu lauimus indigni corpora noſtra: ſed & Sarraceni hic ſe et pueros ſuos lauant, non vt baptizentur, ſed vt corporum ſuorm fœtorem naturalem euadant.

Engaddi.

Balſamum.

Monaſterium ut λει-φανα Baptiſtæ. Iuxta hanc Babyloniam Cœnobium eſt diui Iohannis Baptiſtæ, in quo ſeruantur reliquiæ eius in quadam arcula. Eſt autem conſuetudo, vt in feſtiuitate ſancti Iohannis, Chriſtiani & Sarraceni ad Cœnobium conuenientes, arculam hanc in naui receptam vehant per Nilum, ſpacio quinq; leucarum, ad aliud Cœnobium, Diui Iohanni conſecratum. Quo in loco peractis ſacris, arculam cum ſacris reliquijs mittunt in flumen Ægypti, viſuri an beatus Iohannes velit reliquias ſuas in locum priſtinum reportari. Pulchrum prodigium. Arcula mox vt in flumen miſſa fuerit, contra impetum tanti fluminis tam velociter natat, vt equis curſoribus eam quis non valeat præuenire. Huius miraculi teſtes habemus oculos & aures Chriſtianos & Sarracenos. Nam & hi Diuum Iohannem valdè venerantur. Sic Deus optimus pro conſolatione peregrinorum, pro confuſione infidelium & pro terræ ſanctæ dignitate, non deſinit quotidiè in varijs locis potentiæ ſuæ miracula oſtendere, quibus fidei Chriſtianæ veritas commendetur. Nam ſimile ferè prodigium viſitur in monte Carmelo, qui eſt in inferiori Galilęa ſitus ad occidentem. Montem enim hunc olim Prophetæ ſancti, Helias & Heliſæus, incolere ſoliti erant cum filijs Prophetarum, quorum ſucceſſores ſunt fratres, qui Carmilitæ vocantur. Horum Cœnobium eſt in monte Carmelo, vbi fons ſcaturit non quidem perpetuis aquis, ſed temporaneis: nulla enim eſt ibi aquarum copia, niſi tranſeuntibus fratribus peregrinis Chriſtianis, ita vt nunquam infideles bibant ex eo, vt verificetur illud Prophetæ: Deriuentur foris in plateis aquæ eius, ſed non bibat alienus ex eis.

Carmelitæ.

¶ Exactis per gratiam Ieſu Chriſti peregrinationibus Terræ ſanctæ, cum magnis laboribus atq; expenſis, mira tamen alacritate corporum, & iucunditate animorum, regreſsi in Ieruſalem, tertiò templum ſancti ſepulchri ingreſsi ſumus, vt, propter quod primum venimus, etiam nouiſsimè viſitaremus. Commendantes ergò nos Deo, Chriſto, beatæ virgini, ac ſanctis illius terræ tutelaribus, primum gratias egimus noſtro Saluatori de ſuis immenſis in nos beneficijs, deinde refecti valediximus Fratribus, moxq; receſsimus, allatis nobiſcum ſanctorum locorum pijs pignoribus, de quibus, fauente Deo regreſsi amicis noſtris impertiremur

tiremur, miſsis etiam in pateram argenteam certis nummis pro ſuſtentatione fratrum montis Sion, in recompenſatione beneficiorum & miniſteriorum. Ergo conſcenſis aſinis, ſanctiſsimam Hieruſalem egreſsi ſumus, & relicto caſtello Emaus à dextris, ad fontem viuum peruenimus, inter oliueta & dulcia fontis murmura pernoctantes. Nulla ibi lectorũ ac puluinarium mentio, ſed ſomnus dabat herbas ſalubres, poſitis tamen cuſtodijs propter timores nocturnos. Altera die, quæ erat aurora Dominicæ, aſinantes viam montoſam confecimus, comitati cuſtodia Sarracenorum. Tranſita autem ciuitate Macchabæorum Ducum, in qua plures manent latrunculi (vt ſuprà narrauimus) ventum eſt ad ciuitatem Rama. Hinc die Martis ad ortum Solis egreſsi ſumus, obtento prius ſaluo conductu ab vrbis præfecto, attigimusq; portum Ioppen, in quo multas iniurias perpeſsi, ſoluto tributo, naues noſtras ingreſsi ſumus, patronos noſtros expectantes. Die autem Dominico ſequenti, Sublatis velis, & flante proſpero vento, nauiganres applicuimus Cypro die Iouis. Cognitis autem in Cypro inſidijs pyratarum, quod non eſſet tuta nauigatio, manſimus ibidem tribus hebdomadibus. Inde altum pelagus ſulcantes, variam maris fortunam perpeſsi, tandem diu optatam tenuimus Rhodum quam ingreſsi, per Principem illuſtrem Dominum Philippum de Viliers de Lille Adam, magnum Magiſtrum, humaniter recepti ſumus. Hic enim paulo ante Rhodum, aduenerat, ſui Principatus inſignibus exornatus. Manſimus autem octo diebus, à Dominis militibus Rhodienſibus multis beneficijs humaniſsimè cumulati. In Rhodo ſoluentes, altum mare ingreſsi, inuaſi fuimus à piratis, qui direptis nauibus nonnullis, cæſiſq; peregrinis, omnes nos trucidaſſent, niſi Rhodiorum militum præſidio miſſo euaſiſsemus. Audiens enim illuſtris Princeps, magnus Magiſter, ſonitum tormentorum, intellexit hoſtilem incurſum, moxq; dato ad arma ſigno, inſtructaq; claſſe, miſit naues ſubſidiarias, quæ venientes, non ſolum nos eripuerunt periculo, ſed etiam recuperata præda, quin & hoſtibus cæſis, & partim in fugam verſis, partim captiuis, nos cum inſigni victoria Rhodum reduxerunt. Quid plura? generoſiſsimus Dominus, ne vllas magnificentiæ partes omitteret, nos cum ſummo gaudio per

Auctoris regreſſus.

Philippus Vilerius, magiſter equitũ Rhodiorum De hoc Iacobus Fontanus de bello Rhod.

ſua arma à Turcis vindicatos lætanter recepit, in pulchro palatio conſtituit, & per tres hebdomadas, liberaliter ſuis expenſis enutriuit, donec profligatis vndiq; hoſtibus, inſtructaq; claſſe maiore, nos per omnia maris pericula conduceret, & in tutis locis collocaret Heu noſtrorum temporum infelicitatem, quibus audire compellimur, altam Rhodū, crucis vexillo inclytam Chriſtiani orbis tutiſsimum propugnaculum, à ſpurciſsimis gentibus, ab ignobili Tyranno occupari, eiectis inde Chriſti armis, fugata nobili principe, & cæſis militibus generoſis, qui tanta in fratres Chriſtianos beneficia ſoliti ſint conferre. Exurgite Reges, exurgite Principes, & vel inclytam Rhodum, Turcæ Tyranno ereptam, Chriſto reddite, vel pudeat vos nominis Chriſtiani. Pudeat vos, mutuis inter vos gladijs dimicaſſe, quo tempore inclytus heros Philippus Villerius, pro Chriſti cruce, pro fide, pro Eccleſia, cum perfidis Turcis ſolus tot diebus, tot menſibus, bella cruenta conſeruit. At vos damnata ſocordia correptos, nequicquam audientes crepitantia tot menſibus ante Rhodum tormenta, fluentem in Adriaticum mare ſanguinem Chriſtianum nil conſiderantes, nulla vnquam ſacra piabunt, nec ulla venia digni cenſebimini, donec hanc teterrimam detergatis ignauiam, magnum Magiſtrum & ordinem militarem ſuis locis ſuis ordinibus, veſtris armis reſtituatis. Tanto ergò periculo erepti à Rhodo in Candiam, à Candia in Hiſtriam, ab Hiſtria ad Parentiam, è Parentia ad Venetias læti regreſsi ſumus, proſpera ſatis valetudine pro noſtrarum complexionum diuerſitate, & ſitu regionum.

Exclamatio

PERORATIO.

Peroratio.

HAbetis, lectores candidi, & Chriſtianæ profeſsionis viri illuſtres, quod promiſimus, habetis deſcriptionem itinerarij Terræ ſanctæ, magni quidem laboris & expenſarum multarum, verum multò maioris iucunditatis atq; ſalutis, adeò vt vix credam, quod vlli peregrini probæ naturæ à ſancta terra ſint vnquam regreſsi, qui non deſiderio æſtuent eiuſdem terræ reuidendæ ſi oportunitas daretur. Nam ſi exteras terras Chalcutam, Siuiliam, Americam, Indiam, Aphricam vidiſſe iucundum eſt, in quibus præter horridas frontes, inhumanos

manos mores, obſcænos ritus, rara monſtra, & reculas quaſdam auro vel argento emptiles, nulla alia videntur, cur nõ longo maiore deſiderio inardeſcamus illam terrã videre, quæ tot ſignis & miraculis eſt, inclyta, tot myſterijs conſecrata, tot gratijs abundans? Proh pudor, quotusquiſq; hæc æſtimat hoc noſtro æuo, & quot longiſsima tranſeunt maria pecuniæ augendæ gratia? cum olim parum illuſtris inter nobiles haberetur qui Terram ſanctam non viſidaſſet. Planè hæc res in cauſa eſt, vt terra ſancta tanto iam tempore à Turcis habitetur, quod ſcilicet pauci Chriſtianorum eius videndæ vel poſsidendæ flagrent amore. Hoc eſt quod nobilis ille Propheta Eſaias & præuidit, & prædixit his verbis: Regionem veſtiam coram vobis alienigenæ deuorabuunt, & deſolabitur ſicut in vaſtitata hoſtili. Cæterum ô me felicem, ô mihi tam longè maneat ſpes vltima vitæ vt audiam pro huius terræ recuperatione conſcribi militiam, & ſigna efferri. Inter quæ prima erunt candentia Lilia, quibus iam olim oriens didicit ſubmittere colla, vt fiat quod longè ante prophetatum eſt: Exultabit deſertum, lętabitur ſolitudo & exultabit lætabunda, & germinans germinabit, ſicut Lilium. Huius tantæ rei exanclator eſto, Franciſce Valeſi, & quod nomine cenſeris rex Chriſtianiſsimus, facinoribus effice præclaris, tantæ gloriæ triumphum alto concipe corde, quo in præſtantiſſimorum Galliæ regum album multo ſtratagemate referri poſſis. Rdeeat in illuſtria corda antiquorum Gallorum pugnacitas, & ardor ille in armis, quem olim formidauere Capitolia, & Tarpeiæ arces ex pauere. Quorum viribus neq; Apollo ipſe ſatis tutè in Delphis poſſedit tripotem, Si quid male pugnatum eſt in agris Ticinenſibus, his trophæis aboleatur. Siquid dudum de Conſtantinopolitano imperio regia pectora concepere, nunc nunc mancipetur effectui. Nec enim credere licet, minores fore vel vires vel animos in perfidos Turcas, & pro vindicando Chriſti ſacro ſancto imperio, quam olim fuere & vires & animi pro regno tutando, pro debellandis Heluetijs. Sit Conſtantinopolis loco Mediolani, ſit Turca typus Heluetij, quanquam forte nec vrbs vrbi, nec gens genti vſq; reſpondeat. An iſta omniũ regum maxima decora alteri cupiã regum Galliæ naſcituro te clariori poſsint contingere? Tuam ſanè cum memoria repeto ſtrenuitatẽ, Chriſtianiſsime rex Franciſce, egregiaſq; animi tui dotes

Apoſtrophe ad Frãciſcum regẽ Galliæ.

Nullis

Nullis principibus,quatumuis ab auctoribus celebratis, mihi cedere videris. Tu enim Britannis, tu Teutonibus, tu deniq; omnibus Europæ principibus multis annis fortiter pugnando reſtitiſti. Exercitui tuo (fateor) Ticinenſis clades dedecori non paruo fuit, tibi autem honori ſummo, vt qui hoſtem in te mille tela, ac (vt dicunt) glandes iacientem, magno animi robore exceperis, multosq; (tanquam alter Hercules) obtruncaueris. An quiſpiam multis retrò annis naſcetur te fortior, aut animoſior, aut bellicarum rerum peritior? An cuipiam regum priſcorum partum eſt amplius regnum, aut parietur in futurum? An in vllum priſcæ ætatis regem Gallorum corda fuerunt propenſiora quam in te, qui vt ſinceriſsimum regni tui amorem inclytis factis faceres conteſtatum tuis regnicolis, nihil dubitaſti excedere limites regni, horrendo bello te committere, & ſtrenuiſsimi Cæſaris imitatus exemplum, regia voce dixiſti: Venite imus in hoſtes. Neq; hoc ſatis fuit alto pectori, niſi duces omnes ac proceres fortiſsimè bellando præueniſſes. Tibi ergò vt ſunt vires & animi præcipui, vt regnum eſt hac tempeſtate omnium ampliſsimum & pacatiſsimum, ita annitendum eſt, vt præclara facta ditioni reſpondeant. Porrò ne quid exterreat frontes Chriſtianas Turcarum vis, memineris antiquæ totius Orientis ignauiæ, adeò vt in prouerbium abierit, Aſiatica mollicies, quæ non ſolum non gignit militem horrendi Martis alumnum verum & generoſum quemq; tyronem effœminat. Id quod clariſsimus imperator Alexander in Babylone & vidit & doluit, quod Cyrus ille tanta diſciplina militari corrigere niſus eſt, quod Scipio Aſiaticus mira acrimonia caſtigauit, quod Iulius Cæſar in bello illo Pharſalico Pompeio obiecit. Memineris variarum nationum, quæ per orientem degunt ſub Chriſtianæ legis pietate, varijs ritibus, vna tamen fide Chriſtum colentes, Græci, Armenij, Parthi, Perſæ, Mozorabæi, Maronitæ, Nubiani, Georgiani, Iacobitæ, Indi, omnes Chriſti cultores, quibus reſides olim animi ad arma corripienda redibant mox vbi Gallorum regem, & Gallicas regiones, in Aſiam transmittere cognoſcent. Iam nunc Gallorum metus incubat orienti, quoties ad memoriam redijt, quam paruo negocio pauci milites Galli multos Turcas neci dedere. Vnum dicam certè memoria

Aſiatica mollicies.

Orientis Chriſtianæ gentes.

ria digniſsimum, quod te, Chriſtianiſsime Rex Franciſce, atq; adeò Galliæ proceres omnes, gaudio & admiratione afficiat. Referunt annales non leuium ſcriptorum, circa annum Domini, milleſimum, ducenteſimum profectos Hieroſolymam Galliæ proceres, ſacrorum locorum viſitandi gratia. Qui cum ſoluto voto redirent, medio mari à Turcis prædonibus capti in Tartariam delati ſunt. Inter hos cum duo eſſent ſpectatæ virtutis, corporiſq; proceri, interrogati, cuius nationis eſſent, cuiuſue terræ? libera voce ſe Gallos eſſe profeſsi ſunt. Ad quod ductor Turcici agminis: Si Galli eſtis, inquit, ſpectanda in armis veſtra virtus eſt roburq; corporis: Obtinet enim apud nos fama, vnum militem Gallum multis præſtare Turcis, quæ res vt nobis pateat, magno diſcrimine & Marte iniquo agendum eſt: En quadraginta quinq; Turcæ equites armati: cum his vos duo cataphracti manus conſerite, & laudatæ totius virtutis ſpecimen date. Erant hi nobiles Galli, Guillermus Brunduſius, & Raymundus Guinaſcus, à latronibus delati in Tartariam prope vrbem Arſengdam. Qui Chriſtiana pietate ducti, & peregrinorum freti modeſtia reſponderunt, Se longè alterius eſſe mentis, quam vt cruentis gladijs inter peregrinandum dimicarent. At Turcarum Dux ait: Abſint verba, ad rem ipſam venite, aut diſtrictis gladijs ſalutem veſtram vindicate, aut mille pœnis vos parate. Ad hanc vocem hi duo generoſi milites habito paulisper colloquio, & alterutrum confeſsi, ſeſe animant, moxq; armis induti, equos conſcendunt, gladijs ſe accingunt, lanceas corripiunt. Quando, aiunt, dura hæc vrget neceſsitas, non deerunt nobis animi neq; vires, quibus laudatam hactenus probitatem Gallorum poſteris inuiolatam ſeruemus. Tu Chriſte adeſto tuis tyronibus, & Chriſtianæ frontis pium decus inter hæc mala conſerua, tuq; Diue Georgi, ſuſtenta lanceam, dirige gladium, robur largire, inde animos ſonipedi, & vires, quibus hanc trucem, cohortem pro Chriſti honore mactemus, ſuppedita. His dictis, hi duo cataphracti animis ac viribus leoninis equos vrgent calcaribus, & infeſtis haſtis feruntur in Turcas. Mirum dictu, primis congreſsibus duo quindecim Turcas conficiunt, ruptiſq; haſtilibus micantes gladios arripiunt, & reliquos triginta

Vide Fragment. Vincentij Beluac. libr: 31 ca: 146.

ſemineces in campo proſtratos relinquunt, magna planè Chriſtiani nominis & Gallicæ nationis gloria, maiore Turcicæ gentis dedecore, adeò vt huius rei fama timore vniuerſam penè Tartariam percelleret. Patuit hoc paucis poſt diebus. Nam cum hi duo equites, Guillermus & Raymundus, Turcarum ſpolijs ornati, ad fratres ſuos peregrinos, qui erant numero trecenti, rediјſſent, Chriſticola quidam, natione Florentinus, incidit in manus Turcarum, qui ob cæſum quempiam ex ſuis ambiebant Chiſticolam, maximo numero minantes ei cruces atq; patibula: quæ res vbi innotuit peregrinis, viſum eſt communibus votis redire ad Turcas, & fratrem Chriſtianum vendicare è manibus Turcarum prece vel prælio. Nec mora, vt rem ſciuere Turcæ, memores virtutis Gallicæ, Chriſticolam mox dimiſerunt. Age ergò Rex Franciſce, agite Principes Chriſtiani, animos tandem reſumite, vires veſtras ipſi cognoſcite, & militum veſtrorum robur torpeſcere ne patiamini. Scatent ſimilibus exemplis omnes hiſtoriæ, adeò, vt ſi ſepoſito numine & nutu diuino (quanquam id impijſsimum fuerit) vires viribus comparantur, haud ſuſtinere poterit tota Aſia vires Europæ. Probauere hoc multi principes, maxime Imperator Conradus. Nam cum ipſe & Gallorum rex Ludouicus, iunctis copijs in Aſia armis detonarent, & in obſidione Damaſci crebris dimicationibus vterentur, Imperator ipſe medijs peditum legionibus ſe miſcuit, voce & viribus dans miræ probitatis exempla, adeò, vt Turca quidam validus viribus Imperatorem appræhenſum collo perſtringeret, qui mox Turcam excutiens vibrato enſe hoſtem ab læuo armo per pectus tranſuerſum vno diſſecuit ictu, mirantibus Turcis apud Damaſcum & ad deditionem conuerſis. Ludouicus Diuus quàm proſperè in oriente bellauit impar numero, ſed ſuperior virtute Godefridus, Balduinus, ac reliqui, Lotharingorum principes, parua manu ingentes ſæpè copias peſſundederunt. Hi omnes, tametſi diuinis fuerint vſi præſidijs, bella tamen humanis viribus & militum robore exantlârunt. Quid futurum ſperamus, ſi Deus opt: maximus, ſi ſalutifer Chriſtus, omneſq; ſancti tutelares, cum legionibus Angelorum in Chriſtianorum caſtra deſcendant, & pijs precibus inuocati præcedant agmina, ferant ſigna, firment

Auctor Gulielmus Tyrius lib: 6. cap. 4.

Coſulendum iterũ Fragmẽt. Vincẽtij. ut Chronicon Hieroſol.

firment virtutes? Fiet dubio procul, quod olim conceſſum eſt populo Hieroſolymitano, veri ac ſummi Dei cultori, vt vnus ex noſtris percutiat decem, decem centum, centum mille, mille decem millia, & totus oriens. Vnde venit Titan & nox vbi ſidera condit, quaq; dies medius flagrantibus æſtuat oris, Et qua bruma rigens ac neſcia vere remitti, Aſtringit Scythicum glaciali frigore pontum, Et gens ſi qua iacet naſcenati conſcia Nilo, ſummi Dei ac Chriſti nomen inuocet, vna toto terrarum orbe ſit diffuſa Eccleſia, id quod olim multi Prophetæ cecinerunt, & his temporibus futurum ſperamus, ſi viribus animi accedant, & voluntati facultas reſpondeat. Tunc tunc ſatis longè mihi fuerit victitatum, clauſuruſq; vitæ meæ diem felici periodo, dicam cum ſancto Simeone. Nunc dimittis ſeruum tuū Domine ſecundum verbum tuum in pace.

Lucanus lib. 1.

D I X I.

AD PERILLVSTREM AC GENEROSVM, VTRIVSQVE ARMATÆ & togatæ militiæ auratum Equitem ſanctæq; ſedis Apoſtolicæ protonotarium, ſimul geminæ cenſuræ Licentiatum digniſsimum, Dominum Bartholomæum à Saligniaco, Gabrielis Delez. carmen elegum.

BIturigum ſublime decus, clariſsima gentis,
Gemma Saligniacæ, & tempus in omne iubar.
Bartholomæe ſagax, gemino ſplendeſcis honore,
Armorum atq; togæ miles, vtrunq; tenens.
Dum ferus hoſtiles Mauors ad bella phalanges,
Excitat, occurrens ſtrenuus arma capis.
Dum Bellona furens clypeum protendit, & enſem,
In medias acies irruis impauidus.
Aſt dum Palladias delectant ocia mentes,
Mnemoſyne cerebrum vellicat ipſa tuum.
Impiger Heſperidum placido ſpaciaris in horto,
Atq; decem tomis pſallit amæna chelys.
Quæ latuere prius tua commentaria pandunt,
Pandunt res miras, quæ latuere prius,
Quæq; peregrinus Iudæo noueris orbe,
Rhetoricis ornans floribus ipſe notas.
Multa tibi totus debere fatebitur orbis,
Si tua perlegerit lumine ſcripta pio.
Neſcio quæ meritis præconia digna rependam,
Munere pro tanto ſit tibi laus & honor.

VALE.